

~~Gr. 53.~~

ΣΥΝ ΘΕΩ.

DISSERTATIO JURIDICA

DE

OBLIGATIONE

QUAM,

AUTORITATE ET CONSENSU

MAGNIFICI, NOBILISSIMI ET CONSUL-

TISSIMI J. CTORUM ORDINIS IN A-

CADEMIA JENENSI,

PRÆSIDE

VIRO

NOBILISSIMO, AMPLISSIMO, CONSULTISSIMO ATQ;

EXCELLENTISSIMO

DN. GEORG-ADAMO

GRUBER/ J. U. D. PANDECT.

PROF. PUBL. CONSILIARIO SAXONICO,

CURIÆ PROVINCIALIS ET SCA-

BINATUS ASSESSORE,

DN. COGNATO, PRÆCEPTORE, ET PATRONO SUO

ÆTATEM SUMME VENERANDO,

PUBLICO EXAMINI SUBMITTIT

PAULUS BRUNNEN/

AUTOR.

AD D. XXVI. APRILIS.

JENÆ,

LITERIS GEORGI SENGENVVALDI.

ANNO M. DC. LI.



REVERENDISSIMO, SERENISSIMO, CELSISSIMO
PRINCIPIAC DOMINO,

DN. AUGUSTO, ARCHIEPISCOPATUS MAGDEBUR-
GENSIS ADMINISTRATORI, PRIMATI GER-
MANIÆ, DUCI SAXONIÆ, &c.

A CONSILIIS

VIRI MAGNIFICI, NOBILISSIMI, AMPLISSIMI
ET CONSULTISSIMI

DN. GEORG-ADAMI
BRUNNERI,

J. CTI EXCELLENTISSIMI, HÆRE-
DITARIi in Mûcheln ad Salam, &c. DOMINI PA-
TRUI, AMORE CURA ET BENEFICIO REVERA
PARENTIS ET STUDIORUM PROMOTORIS
SUI SUMMI

NOMINI
VENERANDO

EX GRATITUDINIS ET OBSERVANTIÆ IN-
CUMBENTIS DEBITO

HANC DE OBLIGATIONE DISSERTATIONEM

DEDICAT

PAULUS BRUNNER

A. ET B.



Q. D. B. V.

DISSERTATIO
JURIDICA
DE
OBLIGATIONE.

THESIS I.

Ouris sub nomine quæ apud nos veniunt, varia diversique generis sunt. Aliud enim Jus est, quod dicitur *Civile Justinianæum*, quandoq; etiam absolutè *Jus Commune*, des *Reichs gemeine Rechte*; aliud quod *Canonicum*; aliud quod *commune Feudale*; vel etiam absolutè *Feudale*; aliud quod *Constitutiones Imperiales*, i.e. der *Reichs Lage Abschiede*, vel des *Reichs Abschiede*; aliud quod *alio nomine* appellatur. Vid. Excell. Dn. Præses in *Notabiliorib. ad Instit. in præem. Cl. Dn. Herman. Conring. in comment. histor. De Orig. Jur. Germ. c. 26. 29. 32. 33. Schultz. in Synops. Institut. in prolegom.* Nos de OBLIGATIONE tractaturi Jurium jam nominatorum singula in præsens principia non habebimus: sed quod inter ipsa recensuimus primum, Jus nimirum *Justinianæum*, (quo de ipse Ludovicus Imperator apud Lindenbrog. in *Cod. LL. antiquar. addit. IV. ap. CII. Lex, inquit, Romana, quæ est omnium humanarum mater legum, &c.*) id solum assertionum de Obligatione jam afferendarum Juridicarum principium erit.

A

II. Si

II. Si, quæ tractationis generalis de Obligatione Juridica propriæ sunt partes, omnes nostras jam faceremus, necesse foret, non solum de ejus causis constitutivis acquisitivisq; agere; quod partium illarum primæ est: sed & ejusdem conservationem & amissionem, quod reliquæ partes sibi vendicant, explicare opus esset. totum enim jus inquit Ulpianus in l. ult. De LL. consistit, aut in acquirendo aut in conservando, aut in minuendo. Verùm cum Obligatio in Jure nostro, (quò hîc & deinceps intelligimus Justinianæum) sit res longè diffusissima, nec talis, quæ paucarum paginarum terminis inclusa & tamen vel quadantenus dilucidata exponi possit: ideo animum ad primæ saltem partis explicationem, qualem tamen angustia Disputationis Academicæ capere possint, adornandam nunc applicamus, Obligationis principia & causas Constituentes generatim lustraturi, specialiorum considerationem tractatum scribenti relinquentes.

III. Ordo autem, quem differendo servabimus, erit isthic. agemus de Obligationis 1. NOMINE, 2. ESSENTIA, 3. CAUSIS EFFICIENTE ET FINALI, 4. NATURALI seu PROPRIA AFFECTIONE. Totq; capitibus *περὶ ἁπλοῦς* Obligationis didascalicam comprehendere putamus. Add. Neldel. in synopsis. poster. analyt. pag. 35. & seq. Antequam verò ad ista quatuor capita accedamus, non inutile fuerit præmittere Obligationis 1. Etymologiam, 2. Homonymiam, 3. Synonyma, scilicet Grammatica, & 4. Paronyma seu Denominativa.

IV. Ratione Etymologiæ considerata Obligatio est

tio est (1) *Figura Composita*. Composita enim est ex *ob* & *ligatio*, cujus verbum originale est *ligo*. *Compositam* vocamus, quia *in partes significantes ejusdem originis dividi potest*; quod est vocum Compositarum, uti patet ex traditis Grammaticorum, ubi de communissimis vocum Accidentibus agunt. Præpositio *ob* in compositione hîc idem denotare videtur, quod *circum*; ut *Obligatio* idem sit quod *circumligatio*, unde Columella; *bonus operarius*, inquit, *prati jugerum desecat, nec minus mille ducentos manipulos unus obligat*, (i. e. circumligat) *qui sint singuli quaternarum librarum*. & Q. Curtius: *ne obligato* (i. e. circumligato) *quidem vulnere haut segnius destinata exsequitur*. Cæterum unde sit vox *ligo*, quæri potest apud Lexicographos & Becmannum *in Originib.* cum, minutissima quævis hîc sectari, nec libeat, nec deceat. Ex eo autem, quod *obligationem* diximus idem esse, quod est *circumligatio*, intelligi potest, quod, qui *obligatus* est, non quoad aliquam saltem sui partem, sed *totus ligatus* sit & adstrictus, cum talem sensum clare inferat vox *circum*.

V. (2) *Ratione Speciei Derivativa* est, descendens à *Supino* Verbi *obligare* primo vel secundo. Rectius fortè à *primo*, quod est *obligatum*, & activè significat, (Supina enim priora activè vel neutraliter, si Verbum ipsorum Activum est vel Neutrum, posteriora ferè passivè, rarò neutraliter vel activè significant, ut notant Grammatici Giessenses, Gerh. Vosius aliique) derivatur. Nam prior naturâ actio est quam passio, *Petr. Bertius in Log. Peripat. L. 1. C. 9. ubi de prædicam. Action.* & proinde si, qui *Obligationem* à Verbo *obligare* derivarunt, naturæ egere, ut egisse probabile est, convenientius, utique vocem illam à *Supino* activè significanti deduxere.

VI. Admissâ autem hâc à *Supino* primo, activè signi-

significanti, deductione vocis *Obligatio*, sequitur ipsam *ra-*
tionem originis & primi sui usus significare per modum formæ
 fluentis, quæ esse suum habeat ἐν τῷ γίγνεται, & sit *a-*
ctio, per quam quis in eam deducatur conditionem, ut ne-
 cesse habeat, alteri quid solvere. Eoque in sensu puto et-
 iam *Obligationem* usurpatam esse à Labeone in *l. Labeo. 19.*
de V. S. Nam si *J. Cti* mens fuit, (quam certè fuisse patet
 ex verbis initialibus Ulpiani in *dl. 19.*) contractum ibi defi-
 nire, rectius & ad rem præsentem magis accommodè
 verbo obligationis uti nequivit, quàm quæ actionem de-
 notaret. Imò minus accuratè contractum, quia actio
 est, per *Obligationem* definisset, si non per hanc etiam,
 intellexisset actionem. diversi enim Prædicamenti at-
 tulisset Genus, quàm sub quo continetur definitum.
 quam incuriam Labeoni, (præclaro non modo *J. Cto*, sed
 viro, qui ceteris etiam sapientiæ operis dedit operam, te-
 ste Pomponio in *l. 2. §. posthunc. 47. vers. bi duo. De Orig. Jur.*)
 ut tribuamus nullam cogentem video rationem. Deni-
 que si indigitatâ in contractûs definitione per *Obliga-*
tionem ea foret intelligenda, quæ ex contractu nascitur
 & fundamentaliter quædam qualitas moralis est: seque-
 retur stipulationem, mutuum & chirographum, quia
 obligationem ultrò citroque non pariunt, *Vid. Excell. Dn.*
Præses Exerc. ad Π. 16. th. 6. neganda esse contractus. quod
 consequens cùm in Jure videatur ἀτόπον, hinc nec ejus
 antecedens admittendum fuerit.

VII. Ab illo verò primo proprio sui usu, notato in
 pr. præced. thes. translata est vox *Obligatio* ad significa-
 tionem *Figuratam*, quâ per Metonymiam, at si mavis Me-
 talepsin, add. Gerbard. Voss. in partit. Orator. (ed. t. Lugdun.
 Batav. Anno cIo Ioc XXVII.) L. 4. C. 3. in annotat. ad oram. §. 9.
 ipsa, ut nomen actûs antecedentis conditionem, in quâ con-
 stitu-

stitutus necesse habet quid solvere, denotat *ipsam* quoq;
illam *conditionem*, actum Obligationis *consequentem*.
confer Michaël. Piccart. *in comm. ad Politic. Aristotel. L. 4. C. 8. pag.*
554. in m. Posset quidem cuiusdam Figura, per quam fit hæc
vocis translatio, dicenda potius videri Metonymia cau-
sæ pro effectu. Verùm cum nos sequamur sententiam
Cl. Dn. Stahlī *in regg. Philosoph. t. 3. reg. 16. §. 18.* negantis
actionem effectūs, ipsam insequentis, causam efficien-
tem propriè dici posse: idem hinc nobis placuisse ne-
quit. Significat autem vox *Obligatio* in hoc *secundo* sui u-
su *rem permanentem*, ex facto conventionis similisq; ne-
gotii juris virtute natam, eoque in *sensu* occurrit in Legib.
frequentissimè, & nobis *inpresens* quoq; *usurpatur*.

VIII. De Obligationis Etymologia quæ hæctenus
dicta sunt, sufficiant. Pergamus jam ad ejusdem Ho-
monymiam, quamq; variè ipsa usurpetur, paululùm
Iustremus. nam *ad veritatem*, ait Simplicius *in comm. ad*
Prædic. Aristot. ubi de Relat., interprete Guilielmo Dorotheo,
plurimum conferre solet significatorum distinctio. πολλαχῶς
ἂν λεγομένων, inquit Philosophus *de Cælo L. I. C. II. in pr. καὶ*
μηδὲν διαφέρει πρὸς τὸν λόγον, ἀνάγκη τὴν διάνοιαν ἀορίστως
ἔχειν, ἂν ἢς τὸ διακεχωρῶ πολλαχῶς ὡς ἀδιακρίτως χρῆται.
Græca verba sic transtulit Argyropyllus: *Nam cum mul-*
tupliciter dicantur, et si nihil ad rationem refert, mentem se
indefinitè habere necesse est, si quispiam ut in d. visibili eo ut a-
tur, quod multis dividatur modis.

IX. Dicitur autem Obligatio I. *actio*, quæ res cor-
poræ, non cohærentes, *vimine*, quod Græcis λόγον,
circumligantur, *constringuntur*que. *Jungantur verba Colum-*
mella notata in th. 4. II. *Actus*, quo res quidem etiam cor-
poræ, non tamen vimine, sed *aliâ re corporeâ & flexili,*

quoad constrictum tenendi actum viminis vice fungenti, circumligantur. hocque sensu vulneris obligatio dicitur. Jungantur verba Curtii thes. 4. notata. III. Obligatio, & quidem ratione usus, quem in Jure habet, significat (1) actum transeuntem, quo vel ipsi obligati reddimur, seu vinculo circumdamur, quod nos, ad solvendum quid alteri, adstringat, quomodo obligationem sumpsisse putamus Labeonem in l. 19. de V. S. jung. ib. 6. facitq; huc l. si mulier 22. verb. illigare C. ad S. Ctum Vellej. Vel rem, quam pignoris juri subjicimus, obligamus. Ita Marcianus in l. 1. Quæ res pignori vel hypoth. §. 1. scribit: si filiusfam. pro alio rem peculiam obligaverit, & c. Adde quoq; l. fundum meum. 20. De evict. (2) per modum forme consistentis, cujus esse non sit ἐν τῷ γένει, ut contingit in significatione ante notatâ, sed quæ sit quid permanens. Add. d. ib. 6.

X. Formæ consistentis per modum significans Obligatio rursus vel latè, vel strictè usurpatur. Latè usurpata comprehendit omnem qualitatem ^{voum} seu moralem, sive personæ sive rei, alienæ tamen, inherentem, perquam subjectum, eâ affectum, ad quid faciendum vel patiendum alteri adstringitur. Inde q; obligari etiam dici potest, qui propter personæ conditionem & statum quid facere necesse habet; ceu ostendit exemplū, quod habetur in pr. l. etatem. 3. De censib. Ex quo lato usu deprompta quoq; videtur Obligatio, usurpata ab Imp. Justiniano, in §. 5. Instit. De exception. dicente: Si in judicio tecum actum fuerit, sive in rem, sive in personam, nihilominus obligatio durat. & in concreto prædicata à J. Ctis Paulo in l. 3. Quæ res pignori vel hypoth. & Gaio in l. & quæ. 15. §. qui res suas. 2. De pignor. & hypoth. de re, quæ alibi in legibus pignori nexa, seu pignoris jure obnoxia, dicitur. Confer Cujac. in repet. solen. a. t. 1. De acquir. vel amitt. poss. ubi ad l. 1. pag. 1085. col. 1. inf. qui ibi pignoris nexum obligationem realem vocat.

IX. In

XI. In *stricta* significatione denotat Obligatio *qualitatem moralem* seu *voix nō*, *personarum propriam*, quā *privatus* non ob statum seu personæ conditionem, sed *ex causa facti*, *sive sui*, *sive suorum*, ad quid faciendum est obstrictus. Dividique potest (divisione scil. *voix multiplicis in suas significationes aut sensus*. add Fonseca Instit. Dial. Et. L. 4. C. 2.) in *Naturalem*, *Civilem*, & *mere-Civilem*. *Naturalis* rursus est vel *Inanis*, vel *Efficax*. De Oblig. Natur. Inani civilibus sc. viribus, loquuntur l. *sed si*. 25. §. *consuluit*. 11. De hered. petit. l. *si pignore*. 54. §. 1. De furtis. Add. Sutholt. dissertat. 12. apb. 18. Clariss. Dn. Tabor jurisprud. method. element. partit. p. 3. §. 3. th. 14. Hubert. Giphart. in lectur. Altorph. ubi ad l. De O. & A. l. 14. qui ibi obligationem hanc philosophicam potius dicendam censet, quam legitimam. *Naturalis efficax* est, quæ jure quoq; civili viribus pollet. (quā de loqui puto J. C.ros Paulum in l. *naturales* 10. De O. & A. & Julianum in l. *fidejussor*. 16. §. *naturales*. 4. De fidejussor. & mandat.) & rursus *distingui* potest in *Meram* & *Mixtam*. Per *Meram* intelligimus Oblig. Natur. *Efficacem*, quæ *sola* subsistit sine *socio vinculo civili*, ad *exactionem* usque adstringenti. Jung. Bach. in *wegw.* π. L. 2. t. 14. pag. 559. n. 3. in f. et si æquitatis vinculo nitatur l. *Stichum* aut *Pamphilius*. 95. §. *naturalis*. De solut. & liberat. & civiles etiam quosdam effectus habeat; de quibus videri potest Cl. Dn. Tabor d. loc. th. 19. in *en*. 9. Eadem, quia actionem non producit, ideò minus propriè, seu per *abusionem* Obligatio dicitur, arg. l. *fidejussor*. 16. §. *naturalis* 4. vers. *nam licet*. De fidejuss. & mandator. Conf. Cl. Dn. Tabor. d. th. 14. & seqq. Sutholt. dissert. 12. apb. 9. & seq. Inde q; cui ex tali obligatione debetur, creditor esse negatur, l. *creditores*. 10. De V. S. Natur. Effic. *Mixta* est, quæ cum *vinculo civili*, ad *exactionem* usque adstringenti, est *complicata*, & à mere-naturali hactenus differt, quod illa civilis vinculi exclusionem, hæc ejus conjunctionem importet. *Mixtam* verò dicimus, quia
cum

cum civili vinculo est complicata. quòd verò cum alio est complicatum, id communi etiam loqvendi usu approbante, benè dici potest mixtum. *add. Rudolph. Goclen. in Lexic. Philosoph. verbo Mixtio. Mere-civilis oblig. stricto quidem jure civili obligatio est, sed quia per exceptionem, ex jure benigniori contra eandem competentem, enervari, vid. l. quod si 3. §. si quis 1. l. si quis. 30. De pec. constit. l. si quis, cum. 36. de V. O. §. 3. l. de except. l. 5. C. de inutil. stipul. Excell. Dn. Preses exerc. 4. th. 6. imò ex eadem debitum, per errorem solutum, condici potest per l. qui exceptionem. 40. De condict. indeb. Bachov. in τρωτ. Π. L. 2. t. 14. pag. 558. add. Dn. Tabor. d. l. th. 23. in èκθ. ideo ipsa quoque valde abusivè obligationis nomen gerit. Facit hùc elegans textus in l. vel obligatus. 20. De liber. caus. Adde quoq; l. nihil interest. 112. De reg. jur. l. creditores. 10. de V. S. Civilis autem Oblig. (quæ à Juliano in d. l. fidejussor. 16 §. fidejussor 3. De fidejuss. & mandat. naturali, scil. merè tali, contra-distinguitur, & aliàs, comparata cum mere-civili, mixta quoque est, ac dicitur ab Interpp. communissimè, teste Bachovio in τρωτ. Π. d. t. 14. n. 3. pag. 557.) est illa, quæ καὶ ἐξοχὴν Obligatio audit, etiam sine adjectione vocis civilis, in l. juris Gentium. 7. §. sed cum. 4. De pactis. & passim, & in Jure Obligationis nomine propriè venit.*

XII. Adhuc verò latent sub hujus Civilis Obligat. nomine homonyma significata, à quibus ipsum nisi sepa- res, ad conceptum univocum per id non venies, nec ipsò significati tractationem genericam instituere poteris. Nam I. aliter se habet obligatio, quæ in servili subsistit personâ, quâ de Paulus in l. servi l. 14. De O & A: aliter illa quæ liberorum hominum propria, comparata est. Prior (I) actionem, quâ servum convenire possis, personalem non producit, arg. l. cum servo. 107. De reg. jur. l. servus 6. C. de judiciis. l. ult. C. de noxal. action. Conf. Magnif. Dn. Frantzk. ad Π. L.

9. t. 4. n. 4. (2) ipsum servi corpus quasi afficit, unde dominus vel alius, qui ex servi delicto noxali actione convenitur, nisi alio modo pro eodem satisfaciat, ipsum servum noxæ tradere necesse habet. l. 1. § 2. De noxal. action. Hæc autem singula in posterioris generis obligatione se modo habent contrario, dum ipsa & contra obligatum actionem personalem necessario producit, & ipsum debitorem ita non afficit, ut solutionis loco ipse, si aliter debito non satisfiat, tradendus sit creditori.

XIII. II. Ipsa quoque liberorum hominum propria Obligatio unius generis non est. Nam (1) alia est, quæ actum obligationis perfecta nacta, alia, quæ illum nondum consecuta est, sed conditionis alicujus existentiam demum consequitur. Illa præsens perfecta & propriè dicta obligatio est. Hæc vero conditionalis est, ex quâ non debetur, sed spes est, debitum iri, cum propria obligatio in casum contingentis conditionis sit dilata. §. sub conditione. 4. I. de V. O. Add. Hillig. ad Don. Enucl. L. 15. C. 11. lit. A. Si tamen is quoque, qui sub conditione quem obligatum habet, creditor dicitur, & obligatus debitor; ceu fit in pr. l. is cui l. 42. De O. & A. l. creditores. 10. de V. S.: tunc creditoris & debitoris voces aliquantò latius minusque propriè usurpantur. Debitor enim, propriè dictus, est à quo invito exigere potest pecunia, l. debitor. 108. De V. S.: à debitore autem, qui sub conditione debet, exigere nequit. per l. bovem. 43. §. pen. De Edil. Edict (2) Præsens quoque Obligatio 1. alia est, quæ fundat actionem de peculio in persona patris dominive, 2. alia, quæ actiones in rem scriptas, (quas inter etiam cum Magnifico Domino Frantzio in comm. ad Π L. 10. t. 1. n. 6. noxales, & cum Eodem d. loc. ac Fr. Hotomanno in epitomat. in Π. L. 10. t. 4. §. 3. actionem ad exhibendum referimus) alia, 3. quæ actionem, quæ nec de peculio, nec in rem scripta,

B

sed

sed *personalis*, uti vocant, *pura est*, vid. Bachov. *tr. de Actionib.*
disp. 2. th. 1. 2. 6. fundat, & *ex contractu, delicto, aut quasi ex*
contractu, vel quasi ex delicto, nascitur. De *primi generis*
impropriitate & naturâ non regulari benè agit Bacho-
vius *d. tr. disp. 8. th. 9. in exeg. pag. 114. & seq.* quem videsis. Quod
vero nec *secundi generis* obligatio regularis sit & omninò
propria, puto inde patere posse, quod 1. *subjectum quem*
habeat, quatenus habet rem certam & individuam, in
quâ potissimum creditoris jus quasi defixum sit: cum ta-
men aliàs obligatio personam adstringat sine tali consi-
deratione. 2. *quod respectu ipsius obligati nec ex con-*
tractu vel delicto, nec quasi ex talibus nasci videatur.
Confer. Magnif. Dn. Frantz. in d. comm. L. 9. t. 4. n. 5. & L. 10. t. 4.
n. 7. Clar. Dn. Hahn. Hospes quondam & Praceptor noster veneran-
dus in Observ. Theoretico-Practic. ad parat. Wesenb. L. 10. t. 4. n. 2.
& L. 4. t. 2. n. 4. verb. in rem scripta. Tertii autem, quæ *ordi-*
nis est, illa propriissimè dicitur Obligatio, regulariter
in legibus Obligationis nomine intelligitur, & ab Imp.
Justiniano in tit. Instit. de Obligationibus & tt. seqq. usq;
ad lib. 4. t. 6. tractatur, *nobisq; in presens erit cura.*

XIV. Liberatâ ab Homonymiâ Obligatione, videamus
nunc de quibusdam illius *Synonymis Gram-*
maticis. Horum è numero puto esse *debitum*,
nam etsi vox illa sæpius rem, quæ debetur, signifi-
cet, crebrò tamen idem, quod Obligatio, valere videtur,
ut cum *debitum* dicitur *novari, vid. pr. & §. 2. l. 1. De novat. &*
deleg. compensari, confundi, extinguere, transferri, &c. cujus
modi locutiones in Jure occurrunt creberrimæ. vid. Cor-
nel. Brederod. in *repertor. sentent. & regul. jur. verbo Debitum.*
Vox Græca Obligationi Synonyma est *ένοχη*, ceu patet
ex ΒΑΣΙΛΙΚΩΝ, (novissimè Parisiis editorum à Carolo
Annibale Fabroto,) lib. LII. tit. I. leg. I. cujus principium
hæc

hoc est: 'Αι ἐνοχαὶ ἢ δὲ σὺν ἀλλοτρίων, ἢ δὲ ἀμαρτημάτων τινῶν, ἢ δὲ ἰδίῳ νόμῳ ἐκ διαφόρων θεμάτων, i. Obligations, aut ex contractu, aut ex maleficio nascuntur, aut proprio quodam jure ex variis causis. An verò jus ad rem pro Synonymo etiam habendum sit, hinc aptè potest quæri. Certè si per Obligationem eam intelligimus, quam vulgo Dd., Hilligero in d. L. 14. C. 19. lit. A pag. 1195. teste, activam, Germani Schuld / Cl. Dn. D. Habn. in sup. cit. obs. ad parat. W. L. 5. t. 1. n. 4. vocant, quæque est relatio creditoris ad debitorem, ac à nostra Obligatione, quæ est relatio debitoris ad creditorem, differt, nihil obstant video, quin id affirmare queamus: Sin verò intelligimus passivam, quæ, uti jam diximus, est relatio debitoris ad creditorem, dubito, an tunc jus ad rem commodè Obligationis Synonymum dici queat, cum jus ad quid, activam potentiam sive facultatem jure concessam importet. Sed tantum de Synonymis dixisse satis sit. Pergamus jam ad cætera.

XV. Ab Obligatione, quæ Abstractum, aut si cum Cl. Scherbio loqui placet, Secretum est, descendit Concretum & PARONYMUM seu Denominativum Obligatus. Quæ vox in Jure usitatissima est, & denotat accidens, Obligationem, per modum alteri adjacentis, cum sit terminus connotativus: (est enim vox Denominativa, omne verò Denominativum est Connotativum, docente Fonseca i. Instit. Dialect. 25.) Terminus autem connotativus, ut definit Dominicus Bannes, in Institutionib. minor. Dialect. L. 1. tract. 1. C. 1. pag. 19. est, qui significat accidens per modum alteri adjacentis, vel negationem alicujus, per modum alteri adjacentis. Est hoc Denominativum voce & significatione Paronymum. Quia, dum suo cum Abstracto, Obligatione, convenit significato principali & in principio vocis, sine verò ab eodem differt, Abstractum-

Giannabende

que ab illo, pro quo supponit Concretum, aliud importat, sic omnia habet requisita, quæ in denominativis voce & significatione simul exigit, qui Cl. Dn. Stahlus audit Scotista doctissimus, Petrus Tartaretus in *exposit. super text. Logic. Aristot. in lib. predicam. ubi ad Regul. Quando alteram de altero. §. sciendum est tertio. in f. Re autem tantum παρόντων* (quod secundum eundem Scotistam est Denominativum conveniens in principali significato cum Abstracto, sed non in principio dictionis. *add. etiam Hilden. in comment. super Organ. Aristot. in Ante-Predicam.*) est **Debitor**: quod tamen ex instituto loquentium, tractationis è materia patefcente, æstimandum est, cum aliàs, extra usum hunc specialem, vocis *debitor* latiore etiam usum esse, constet ex *l. creditores 10. de V. S. l. pecunia. 178. §. fin. eod. tit. juncto Goeddeo in comment. ad d. t. Π. ubi ad l. 108. inf. & ad l. 12. n. 2. & seqq.* Similiter Paronymi vice ex usu loquentis quandoq; fūgitur **obnoxius**, ceu patet ex *l. si debitum l. 3. C. quādo fiscus vel priv. debitor. cui debitor. conven. Addatur Corn. Brederodius in Lexic. Jur. Civil. verbo Obnoxius, & suppositus, l. manifestissimi. 22. §. fin autem. 2. C. de furtis & serv. corrupt.*

XVI. Si verò quis interroget: *Cui bono sit nosse, quæ Obligationis, ut Synonymi Logici & Abstracti, sint Paronyma & Concreta?* Respondemus, hoc eò prodesse, ut argumento, quod à *Conjugatis* petitur Topicum, (quo de vide sis Philosophum 2. *Topic. 3.* & Magnificum Dominum Georg-Adamum Brunnerum, Patrum nostrum, amore, curâ & beneficiò Parentem, in *Synops. locor. legal. Everhardi loc. 8.*) sive confirmemus, sive refellamus, rectè uti queamus, cum Synonymum ejusque Paronyma sint conjugata. *Jacob. Schegk. in comment. in Topic. Aristotel. L. 2. loc. 27.* Quin & hac utilitas, ut plures alias nunc taceamus, ex accuratâ Denominativorum intelligentiâ profuit,

fluit, ut scire queamus, an *Subjectum* Obligationis com-
 modè & accuratè *per ipsum Debitoris nomen explicari*
 queat. Nam si vox Debitor Paronyma est, & sic forma-
 liter dicit Obligationem Subjecto adjacentem, sequitur,
 quod ipsum Obligationis Subjectum per eandem *non de-*
claretur, sed saltem *connotetur*. Sunt enim Paronyma
 Concreta. *Fonsec. d. lib. 1. c. 24.* Concretum autem *solam for-*
nam significat de significato formali seu principaliter: de si-
gnificato autem materiali & minus principaliter, seu de con-
notato significat Subjectum, ut habent verba Tartareti.
loc. cit. §. Dubitatur secundo. Adde quoq; Eustach. à S. Paulo in
summâ philosoph. quadripart. 1 part. Log. tr. 1. q. 6. Jacob. Scheg-
 kius *in comm. ad Prædicam. Aristotel. ubi de Synonymis & Parony-*
mis, Paronyma seu Concreta dicit, non ipsa Subjecta esse,
 sed his *τῶδε ἐν τῶδε* solere significari.

XVII. Prænotatis Obligationis Etymologiâ, Ho-
 monymiâ, Synonymiâ & Paronymiâ, rectâ jam progredimur ad ipsum *tractationis didascalica caput principale*
primum, NOMINIS DEFINITIONEM. Explicat ea,
τὸ τί λεγόμενον ἐστίν, i. e. quid nomen significet, *modò po-*
pulari, & Græcis dici solet *λόγος ἢ ὄνομα*, Galeno, teste
 Piccarto *in Synops. Organ. Aristot. ubi ad analyt. poster. libr. 2. c. 10.*
q. 3. pag. 680. ἐννοηματικὴ, aliis ἐννοηματικὴ διαλεκτικὴ, ad
 differentiam definitionis ennoëmaticæ Analyticæ, quæ
 est accidentis definitio essentialis. *jung. Neldel. in opusc. post-*
hum. Disput. de Ordine doctrine in disciplin. Ζητήμ. 7. pag. 224.
 Obligationis *λόγος ἢ ὄνομα* fortè poterit hic esse,
quod sit vinculum juris, quo necessitate adstrin-
gimur alicujus rei solvende, secundum jura
Romana, semperq; ex contractu, delicto aut
quasi ex contractu vel quasi ex delicto oriuntur.

XVIII. Post notatam definitionem nominis popularis eruere satagemus ipsam *Rei* per Obligationem significatæ ESSENTIAM, seu τὸ τί ἐστίν. Hanc ad intelligendam necesse erit cognoscere Obligationis tum GENUS, tum SUBJECTUM ADEQUATUM. Accidentium ~~em~~ τὸ τί ἐστίν aperit Definitio eorundem Essentialis: quæ partes sui constitutivas Genus, quod *formam* Accidentis, ad definiendum propositi, exprimat, & Subjectum, quod *differentiam*, formam illam coarctantem, aperiat, secundum doctrinam Philosophorum requirit. *Add Neldel. in d. disp. de ord. doct. pag. 226. & Cl. Dn. Stabl. in regg. philosoph. t. II. reg. 6. §. 4.*

XIX. Generis in cognitionem ut deveniamus, oportet nos in Logicis *Prædicamentorum* ordinem accedere, & perspicere, ad quod illorum Obligatio pertineat. *Sunt enim Categoriae sedes omnium eorum, de quibus simpliciter queritur, quid sint, sive ea facti sint, sive juris, ut ait Neldel. in Institut. de usu Organ. 5. part. princip. 3. cap. pag. 548. in pr. Et re ad certum entis genus revocatâ, quasi in synopsi videtur, de quibus apta sit prædicari, docente D. Heinr. Höpffner in comm. in veter. Log. ubi ad libr. Categor. c. 4. pag. 207. in pr.*

XX. Putamus autem Obligationem ad *Categoriam* τὸν ὄρος ἢ, i. e. *Relatorum*, referendam esse. Sunt namq; *Relata*, quorum esse idem est cum eo, quod est ad aliud, quodammodo affectum esse. *D. Heinr. Höpffn. d. libr. cap. 7. pag. 462.* Græca ipsius Aristotelis verba hæc sunt: τὸ ὄρος ἢ ἐστίν, οἷς τὸ εἰσὶν ἄντι ἐστίν, τὸ ὄρος ἢ πῶς ἐστίν. & *Relatio*, sive abstractum Relatorum, est cujus essentia est unius ad alterum habitudo, quâ unum ad alterum, ut ad terminum conexistentem, refertur. *jung. Edmund. Schneider. Fr. Ordin. Cisterciens. in philosoph. ration. t. 1. §. 9. & seq.* Jam verò Obligationis *substantia* etiam in eo consistit,

stit, ut alium nobis obstringat ad dandum aliquid, vel faciendum, vel præstandum, uti constat ex *pr. l. Obligationum. 3. de O. & A.* Erit ergo Obligationis *Genus* statuendum *Relatio*. Quâ in sententiâ $\delta\mu\omega\psi\eta\phi\sigma\varsigma$ etiam habemus Baldum, ubi ad l. edita. 3. C. de edendo. n. 5. Magnif. Dn. Frantzkium *Exerc. Juridic* 17. q. 2. n. 7. Osvald. Hilligerum ad Don. Enucl. L. 12. C. 16. lit. A. Henning. Wegnerum (quem verbis per-honorificis alicubi suum laudat Praeceptorem prælaudatus Dn. Frantzkii) in *disp. semestrib. ad Instit. disp* 15. th. 1. lit. D. Ipsa Dn. Frantzkii verba placet afferre: *Obligatio*, inquit *loc. cit.* nihil aliud est, quam quaedam relatio inter debitorem & creditorem consistens. qua uti ex parte debitoris est quid passivum, & significat necessitatem solvendi: quo sensu & definitur & dicitur obligatio plerumq; §. 1. *Instit. de Obligat.* ita ex parte creditoris est quid activum, & significat facultatem agendi, adeoq; hoc respectu se mutuo ponunt & tollunt, dicunturq; esse simul naturâ. Conferantur etiam Goeddæus de V. s. ubi ad l. 108. inf. Bachovius ad *Instit. ad L. 4. t. 6. text. 1. n. 1. pag. 917. col. 1. post m. & L. 3. t. 14. ad pr. pag. 725. col. 2. in pr.* Azorius *Instit. moral. L. 4. C. 9.* Suarezius de LL. lib. 1. c. 20. n. II.

XVI. Dicat quis: Obligationem videri ad nullum *Predicamentum* posse referri, quia *ens rationis* sit, conditionem autem ex parte rei, in *Prædicamento* ponendâ, requisitam esse, ut sit *ens reale*. Respondemus, Obligationem *ens rationis* esse, à nobis non concedi. Intelligimus enim per *ens rationis*, quod habet solum esse ob-
 jectivè in intellectu, i. e. præter hoc, quod cognoscitur, nullum esse habet. *Add. Cl. Dn. Stahl. in compend. metaphys. part. comm. c. 1. & 2. in m.* Jam autem isto modo explicatum *ens rationis* de Obligatione affirmari non posse, inde videtur manifestum, quod e. g. inter venditorem & emptorem
 mutuæ



mutuæ sint Obligationes, non quatenus emtor & venditor
has intelligunt intelligendoq; conservant, sed quia virtute
Juris ex emtione & venditione, inter ipsos celebratâ, nata
sunt conservanturq; & venditor emtoris debitor est,
etsi ipse id non putet, similiterq; emtor ratione pretii ex-
solvendi venditoris debitor, etsi ipse id fortè non cre-
dat. quæ omnia secus se haberent, si Obligatio ens ratio-
nis esset. Confer etiam D. Heint. Höpfner. in d. libr. c. 7. pag. 258. in
m. ubi re'ata, quæ voluntatis sunt instituta (quale quid etiam nostra
est Obligatio) entia rationis esse negat.

XXII. Relatio à Logicis alia constituitur, quæ sit
κτ Φύσις, alia quæ κτ Ήθικη, uti constat ex doctrinâ D.
Höpfneri in loc. cit. D. Jacobi Martini in Log. Peripat. dichotom.
resolut. L. 1. sect. 2. c. 8. & aliorum. Nos Obligationem
ad horum generum posterius referendam censemus, cum
sit Relatio *Moralis* & νόμος ens, uti patebit ex infra
dicendis sub capite de Causâ Effic. *Relatum*, quod ju-
xta Obligationem dicitur, est *Obligatus*, item *Debitor*,
jung. th. 15. cujus *Correlatum* est *Creditor*. Gædd. loc. cit.

XXIII. Porrò cum Relatio absq; accuratâ Funda-
ment'i (utpote à quo Relatio, quoad id quod importat eidem,
scilicet Fundamento, intrinsecum secundum rem non differt, ut
docent Cl. Dn. Stahl. in questionib. Logic. q. 24. & supra citatus Ed-
mund. Schnider th. 20. aliq; Logici plures.) & Termini scien-
tiâ benè cognosci nequeat; sed horum in cognitione τὸν
αἰετὸς ἢ intelligentia consistat, Siberbius in disp. de different. de-
fin. th. 38. & ut ait Conrad Summenhart de Calv in oper.
septipart. de Contractib. pro for. conscient. tr. 1. quest. 1. concl. 3.
Descriptio relationis benè & magistraliter ponatur, si detur
per Subjectum, Fundamentum & Terminum: Hinc nostri
deinceps laboris erit, circa Fundamenti & Termini Obliga-
tionis

tionis explicationem occupatos esse. Quia verò vocis *Fundamenti* usus apud Logicos in doctrinâ de Relatis occurrit varius, utile duxi, quid eâ nobis hîc significetur, præfari. *Fundamentum* vocamus *illud* in subjecto, propter quod ipsum aptū est suscipere relationem, eamq; proximè fundare. à quo, ut antè dictum, *Relatio non differt secundum rem*, sed solū *ratione ratiocinatâ*, ut loqui solent; quatenus cōcipitur à nobis per modum formæ ejusdam accidentalis, *Fundamento* inexistentis, idque intrinsecè afficientis, & denominantis in ordine ad Terminum: *distinguitur* tamen ab eodem, si *formaliter & adequatè* ipsa sumatur, prout nimirum *Fundamentum & Terminum* sibi conexistentia includit, *realiter inadquatè*, sicut *includens ab incluso*. De tali ergo *Obligationis Fundamento* nos jam agemus.

XXIV. Hujusmodi autem *Fundamentum* Relationis in universum *triplex* constituunt: I. Unitatem & Numerum, II. Potentiam activam & passivam, aut actiones & passiones potentiarum, III. Mensuram & mensuratum. *vid. Philosoph. 4. Metaphys. 15. Cl. Dn. Hornejus in Instit. Logic. L. 2. q. 36. n. 6. & seqq. D. Heïn. Höpfnerus in libr. supra laud. ubi de Relat. pag. 283. Confer quoq; Dn. D. Drejer. in philosoph. primâ, disp. 8. th. 14. & seq.* & horum è numero *Obligationis Fundamentum* nobis erit desumendum. Id autem *Potentiam Passivam* statui sequentique ratiocinio confirmari posse puto. Quicquid fundat Relatum Debitorem seu Obligatum, idem etiam fundat Relationem Obligationem. Sed *Potentia passiva* fundat Relatum Debitorem sive Obligatum. E. *Potentia passiva* fundat etiam Relationem Obligationem. Consequentia *Majoris* apud non ignaros terminorum Relati,

C

Rela-

Relationis, & argumenti Topici, quod desumitur à Conjugatis, forte dubio caret. *Minoris* veritas inde claret, quia Debitor quis ideo dicitur, quod in eâ sit conditione, ut ab ipso invito exigì possit pecunia *l. debitor. 108. De P. S.* seu, quod ad præsens idem est, ut rei ejusdam solutio ab ipso invito exigì possit. Hoc verò nihil aliud est, quàm habere esse passivè, sive in *potentia* constitutum esse *passivâ*. Quod enim est principium, quo res apta est ad recipiendam aliquam formam, illud est potentia passiva, *Armand. de Bello Visi in explic. termin. tr. 2. c. 8.* Hujusmodi verò conditio seu qualitas, per quam quis aptus est, ut ab ipso invito exigì possit pecunia, est principium, quo Debitor aptus est recipere aliquam formam, scilicet debiti exactionem. Ergo qualitas illa erit potentia passiva. Patet itaque ex his, *Fundamentum Obligati & Obligationis esse potentiam passivam*, sive qualitatem, per quam sumus in potentia passivâ.

XXV. *Potentia* autem *Passiva* alia *Naturalis* est sive *Φυσική*, alia *Moralis* sive *νομική*. Ad prius genus Obligationem fundans potentia non pertinet, sed ad posterius, & statuenda est *Moralis*, cum à Legibus, sive *voluntate Majestatis Politicæ*, per *leges* in subditos operante, quoad fieri & conservari dependeat. *Confer. Hugon. Grotium de Jur. B. & P. c. 1. n. 4.*

XXVI. Sunt, quæ de *Fundamento* Obligationis hætenus diximus, *generaliora*, quàm ut distinctam ejus cognitionem parere possint. pergamus itaque nunc ad tractationem illius *specialiorem*. *Hujus*; cum notum sit ex doctrinâ Logicorum, *potentias*, quæ sub *Qualitate* continentur, definiri *Actu*, ad quem feruntur, *Causa* illius *Efficiente & Subjecto*, hisque plenè cognitis ipsas etiam potentias plenè intelligi: *Hujus*, inquam, *partes* commodè

modè faceremus tres, ut prima esset de potentia hujus passivæ *Subjecto*, altera de *Actu*, ad quem tendit, tertia de *Causa* ejus *Efficiente*. Verùm cum de *Obligationis Subjecto*, quod etiam *Subjectum* est *Qualitatis* eam *fundantis*, post tractationem *Fundamenti* & *Termini* singulariter, & deinceps etiam de ejusdem *Causa Efficiente*, quæ cum *Causa Fundamenti Efficiente eadem est*, separatim sumus acturi: ideo hîc de *Actu* solùm quædam subjiciemus. *Actus*, ad quem tendit *hæc Potentia passiva moralis*, statuendus nobis videtur *Exactio alicujus rei danda, faciendæ aut præstandæ passivæ*. Cum enim *Debitor* secundum *J. Ctum Modestinum in l. debitor. 108. De V. S.* intelligatur is, à quo invitò exigî potest pecunia, sive, (ut descriptionis illius verba interpretatione ad rem præsentem magis accomodemus) *qui est in potentia passivâ morali ad sustinendam debiti exactiõnem* (*jung. th. 24.*) non potest non statim etiam, & simul intelligi, ipsam *Exactiõnem actum* esse, ad quem *potentia* ista tendat. De *Re exigenda* dicetur sub capite de *Caus. Oblig. Fin.*

XXVII. Sumitur autem *Exactio* in *Legib.* aliàs *latius*, aliàs *strictius*. *Strictius* usurpata actum *executionis* saltem denotat, *vid. l. 4. §. ait Prætor. 3. De re judic. juncto Calvino in Lexic. Juridic. verbo Executionis, & Cædæo comm. de V. S. l. 187. n. 1.* *Latiori* in usu comprehendit cunctos actus, qui contra debitorem à creditore fiunt & *debiti consecutiõnem intendunt*. *Vid. l. quod quis. 8. C. de procur. l. si stipulatio. 2. in f. C. de jur. dot. l. ad exactiõnem. 6. C. de dot. promiss. l. si te bonis. 10. C. de jur. deb. l. si literarum. 23. C. de solut. & liber.* In hæc *latitudine* etiam nobis accepta est *Exactio*, cum eam actum fecimus, ad quem *Fundamentum Obligationis* tendat.

XXVIII. Est hæc *Exactio actus* ratione *finis sui ultimi* & *termini*, quo producto etiam ipsa perfectè est peracta,

unus. Semel enim factâ à Debitore integri debiti præ-
 statione, sive solutione, statim Debitor liberatus est. *arg. l.*
3. §. ult. in f. De duob. reis constit. Extra hanc considerationem
 ipsa necessariò actus *numero unus non est.* Nam actus qui
 tempore, loco, & actionum heterogearum vel dissimi-
 lium intervallo dirimi potest, unus numero non est. Ex-
 actio verò sæpius talis est: cùm regulariter mediante *a-*
ctione in iudicio institutâ, ut infra dicetur, fieri debeat;
 quam temporum heterogearumque actionum, sæpè
 etiam locorum intervallo diremtis actibus perfici, invul-
 gus puto notum esse. Quin ipsam etiam in specie dictam
 executionem sæpè plures, tempore ad minimum distin-
 ctos, actus, quibus perficiatur, requirere, constat ex t. Cod.
 de execut. rei judic. & illis, quæ docet Excell. Dn. Præses
exerc. 20. th. 8. in f. & th. 31. Hubert. Giph. in tr. de ordin. judic.
1. c. 24. Anton. Perez. ad d. t. Cod. n. 9. & seqq. & Frider. Hil-
tropf. de process. judic. p. 4. t. 18.

XXIX. Circa *Exactionem* id adhuc notasse decet,
 quod ejus *actuatio* seu *exercitium* ab hac pendeat *conditio-*
ne: Si nec debitor ipse nec hujus nomine alius
ante exactionem satisfaciat. Hoc enim si contin-
 gat, evanescit potentia Creditoris activa, & in Debitore,
 passiva, consequenterq; etiam actus ex illis fluentes pos-
 sibiles esse desinunt.

XXX. De Fundamento Obligationis quæ hactenus
 diximus, pro instituto sufficiant. pergamus nunc ad
 explicationē *Termini.* (*jung. th. 23.*) Obligationis *Termino*
 „ hîc illud intelligimus in subjecto Relationis, Obligatio-
 „ ni è regione respõdentis, *jûg. Corn. Martini in Metaph. c. de uno.*
 „ *in context. pen.* propter quod ipsum aptum est, ut Debitor
 „ ad ipsum referatur. Dicitur autem *Terminus*, quia ter-
 minat

minat Relationem Obligationem. estque *simul Funda-*
mentum Relationis Obligationi respondentis, (*add. Gil-*
bert. Iachaus Instit. Metaphys. L. 6. C. 16.) per quam Creditor re-
fertur ad Debitorem, & quam supra *ib. 14* à Dd. *Obliga-*
tionem activam & Jus ad rem vocari diximus. Hunc Ter-
minum censemus *Potentiam activam*. Quod enim
Fundamentum est Obligationi è regione respondentis
Relationis, idem etiam Terminus est Obligationis. ratio
consequentiae est, quod tale Fundamentum talisq; Ter-
minus sint res eadem, ut antè diximus. Jam verò Poten-
tia activa est Fundamentum Relationis, Obligationi è re-
gione respondentis. E. Potentia activa etiam Terminus
crit Obligationis. *Minor* propositio allati argumenti sic
probat. Quicquid Relatum Creditorem fundat, idem
fundat etiam Relationem, quâ Creditor refertur: cum
Conjugata, qualia sunt prædicta Relatum & Relatio, *si-*
mul vera aut simul falsa sint, ut habet axioma Dialecticum.
Creditorem verò fundat Potentia activa. E. *Minoris*
veritas inde apparet, quod Creditoris, quò de hic sermo
est, natura in eo consistat, ut debitum modo legitimo à
Debitore, licet invito, possit exigere, *arg. l. actionum. 25 in pr.*
vers. in personam. De O. & A. l. Debitor. 108. De V. S. juncto axioma-
te Topico, quo, Relativè oppositorum relativè opposita consequentia es-
se, dicitur. quod ipsum est activâ potentiâ pollere. Et Re-
lationem, quâ Creditor refertur ad Debitorem, in acti-
va potentia fundandam esse, confirmat etiam locutio il-
la Doctorum, quâ ipsam vocant Obligationem *activam*.

XXXI. Obligationem terminans *Potentia activa*
æquè ut illa, quæ Obligationem fundat, *Moralis*, sive
νομική, est ob rationis supra *in th. 25.* allatæ identitatem.
Actus autem, ad quem eadem tendit, est *alicujus rei*,

à Debitore prestanda, Exactio activa. quæ mo-
 dum, quò fieri debet, in jure præfinitum & media, quibus
 intentanda & peragenda est, præscripta habet legitima.
 Ordinarium ejus medium & perpetuò competens est A-
 ctio personalis, quâ Creditor in judicio, quod sibi debetur,
 persequitur. Optimum enim Leges censent, ut, si quas
 quis putet se habere petitiones, actionibus experiatur.
l. ult. Ad L. Jul. de vi priv. Ad. l. exstat. 13. Quod metus causa.
 Rarius etiam Jura Creditori, debitum propriâ autho-
 ritate Debitori auferre, vid. *l. ait. Prator. 10. §. si debitorem.*
meum. 16. Quæ in fraud. credit. l. Titius 9. De serv. exportand. Exc.
Dn. Preses in dissert. inaug. de Vindicta privata tb. 38. 39. 94. & in
exerc. ad II. 20. tb. 24. Don. Enucl. L. 17. C. 2. ibiq. Hilliger. in not. lit.
O. Bach. ad Tr. vol. 2. disp. 18. tb. 2. lit. G. verb. Quid si nudis verbis.
 vel bonorum Debitoris retentione ipsum ad debiti solu-
 tionem quodammodo cogere, permittunt.

XXXII. Primam hactenus partem Essentiæ Obli-
 gationis, scilicet Genus, tractavimus. pergimus nunc ad
 explicationem SUBJECTI, quod Differentiam specifi-
 cam in Accidentibus aperit. dicimus, quòd Subjectum
 Differentiam specificam aperiat, quia ipsum Differentia
 non est. *in definitionibus accidentium, non subjectum, sed*
habitus & respectus ad Subjectum differentia est, ait Cl.
 Dn. Stahlius *in sapius laudat. reg. Philos. t. II. reg. 9 §. 4.*

XXXIII. Est autem circa Subjectum Obligat. I. sci-
 endum, quòd ipsum, si Obligationem, consideratam ut est
 unum quid & Relatio saltem Debitoris ad Creditorem, re-
 cipere posse debeat numero unum esse, sit necesse.
 Ratio hujus rei est, quòd secundum canonem philosophi-
 cum, *Idem numero accidens non possit simul esse in duobus*
subjectis divisis, Vid. Cl. Dn. Stahlius *in reg. Philos. t. 14. reg. 10.*
 §. 5. neque diversitas statuenda sit in Relatione. nam
 quando

quando audis, ait Gilbert. Jacchæus *Inst. Metaphys. L. 6 C. 15.* relationem omnem habere subjectum, non est quod putes, relationem unam eandemq₃ esse inter duo extrema, quæ referuntur, veluti medium quoddam: veluti est una eademq₃ via Athenis Thebas & Thebis Athenas: quasi paternitas media sit inter patrem & filium, utriq₃ insidens: hoc enim impossibile iudico. quomodo unum idemq₃ numero accidens sit in subjectis re distinctis locog₃ separatis, ne cogitari quidem potest. & Tartaretus in exposit. super text. *Logic. Aristotel. ubi ad Predicam. Relat. §. sciendum est quarto. inf.* Adverte, ait, quod quando dicitur, quod relatio est inter duo extrema, debet intelligi in uno fundamentaliter vel subjectivè, & in alio terminativè.

XXXIV. Dicitur: Correi debendi unâ affecti sunt Obligatione, per l. in duobus reis. 3. §. ubi duo. 1. De duobus reis constit. Correi debendi sunt plura subjecta. Ergo aliquando plura subjecta unâ obligatione sunt affecti. R. Unum in allato argumento denotat vel numero, vel non numero, sed alio saltem modo, unum. si posteriori in sensu unum accipitur, argumentum nobis non contradicit. si priori; tunc Majorem per citatum l. §. 1. De duob. reis constit. probatam negamus. Ulpianum quidem correorum debendi unam vocare obligationem ex citato paragrapho certum est: sed quod numero unam intelligat, ex eodem textu non apparet. Imò Ulpianum de numero unâ explicare, verba J. Cti. (qui Præceptor fuit Ulpiani) Papiniani, quæ in l. eandem. 9. §. fin. d. t. hæc habentur: in cuiusq₃ personâ, (loquitur de correis debēdi) propria singulorum consistit Obligatio; dissuadent. Et quid prohibet, dicere, Ulpianum in citatâ lege obligationem correorum debendi vocâsse unam propter finem, qui in cuiusque personâ propriæ singulorum consistentis Obligationis numero unus est, solutio nimirum, sive debiti præstatio? Hæc enim ab alter-

alterutro debendi correorum semel factâ, alter etiam, qui nihil solvit, liberatur, ceu patet ex eadem l. 3. §. 1. Et ipsam hanc explicationem confirmant Imp. Justiniani verba, quæ in §. 1. *Instit. de duob. reis stipul. & promitt.* hæc sunt: *Ex hujusmodi obligationibus & stipulationibus solidum singulis debetur, & promittentes singuli in solidum tenentur. In utraq; tamen obligatione una res vertitur, & vel alter debitum accipiendo, vel alter solvendo, omnium perimit obligationem, & omnes liberat.*

XXXV. *Unum* autem est Subjectum vel *Physicè*; ut personæ naturales: vel saltem *Moraliter* sive *Civiliter*; ut *Collegium, Municipium, Decuria, Societas, &c.* quorum quodque *intellectu Juris* censetur *unum.* arg. l. *mortuo. 22. De fidejussor. & mandator.* *Utrovis* modo unum sit Subjectum, hîc nihil refert. nec si *Universitas* *Obligationis* est subjectum, singuli ex illâ debent; l. *sicut. 7. §. si quid. 1. Quod cujuscung; univers. nom. Add. l. in tantum. 6. §. universitatis. 1. vers. ideoq;.* *De rer. divis.* ut jus est in correis debendi: d. l. 9. §. *fin. De duob. reis constit.* sed ipsa & sola *Universitas* debet. Sicut *quis patria mea pecuniam credat,* ait L. *Annæus Seneca,* de *Benefic. l. 6. C. 20. in pr. non dicam me illius debitorem.*

XXXVI. II. Tenendum est, quòd *Obligationis Subjectum* esse nequeat, nisi quod *Juri Justinianeo,* *quatenus ad Obligationem idem spectat, subsit.* Cum enim hæc *Obligatio Justinianei Juris* sit effectus, sive, ut explicatiùs dicam, *Jus Justinianèum* nobis hîc sit *principium,* Quo *Potestas civilis summa* *Obligationem* in *Subjectum* introducat; ut dicetur, ubi de *Obligat. Causâ Effic. tractandi locus* erit: & verò agens non agat, (actione scilicet totâ & completâ, quæ est cum victoriâ agentis. *vid. Cl. Dr. Stahl, in sæpius laudatis regulis philosoph. t. 8. reg. 3.*

reg 3. §. 7.) nisi ipsum sit superius, consequentérq; id, in quod agit, inferius: Non potest non necesse esse, ut is, qui obligatione, ex eodem Jure fluenti, sit afficiendus, idem Jus, sive per illud agentem Potestatem civilem summam, se superiora agnoscere debeat.

XXXVII. An ergo ipse summus Princeps, qui per Jus istud in subditos agit, à Subjecto Obligationis per requisitum jam notatum excludetur? Quæstio hæc est, cujus decisio à quæstionis illius generalioris: an summus Princeps legibus, quas ipse tulit, sit solutus? decisione pendet. à qua manum & judicium nos abstinebimus. Poteris tamen de eadem consulere Excell. Dn. Præsidentem in annot. ad ll. Π. ubi adl. Princeps. 31. De LL. Cl. Conrad. Hornej. in philosoph. moral. L. 4. C. 3. n. 41. Paul. Layman. in Theolog. moral. L. 1. tr. 4. C. 9. Martin. Bonacinam, Theolog. & Jur. Doctorem in Theolog. mor. tom. 2. d. sp. 1. q. 1. punct. 6. n. 14. Marcum Lyclamam in membran. L. 4. Ecclog. 19.

XXXVIII. Diximus in th. XXXVI. Subjectum Oblig. subesse debere Juri Justinianéo, *quatenus id ad Obligationem spectat*. Integrum enim Jus ut legem agnoscat obligandus, nihil est necesse, cum id plura ab Obligatione aliena jura complectatur.

XXXIX. Est III. Subjectum amplius considerandum (1) ut Quod, (2) ut Quo, (3) ratione conditionis & causæ, ex parte illiusdem ita requisitæ, ut sine eadem subjecto Obligatio non insit, ipsa autem præsentis positæ subjectum Obligationi statim fiat obnoxium; quæ forte brevius dici poterit Accidens subjectum adæquatum reddens. Subjectum Quod statuimus *personam*. Cui soli nostram Obligationem accidere.

D

pro.

probari potest arg. *pr. Inst. de Obligat.* in quo Obligatio describitur vinculum juris, quo necessitate *adstringimur*, & arg. *pr. l. 3 De O. & A.*, ubi J. Ctus Paulus obligationum substantiam in eo constituit, ut *alium* nobis adstringat. Et si Obligatio hæc rei quoque, quæ personis contradistinguitur, ut subjecto inesse posset, sequeretur eandem etiam producere posse actionem in rem. Atqui actionem in rem ipsa non producit, cum actio, quæ cum eo agitur, qui nobis obligatus est, saltem personalis sit *per pr. l. actionum. 25. De O. & A. §. 1. Inst. De Action.* Ergo nec rem, personæ contradistinctam, ipsa subjectum habere potest.

XL. *Personâ* intelligimus tum eam, quæ *naturaliter* talis, tum illam, quæ *moraliter* seu *Juris intellectu* persona habetur. *Naturaliter* persona est suppositum intellectualis naturæ, secundum doctrinam Philosophorum. *Vid. Armand. de Bello Visu in explic. termin. tr. 2. c. 57. Heinr. Ludovic. Castaneus in distinct. celebrior. verbo Suppositum.* Tales personæ sunt *individua* (quæ in nostris Legibus J. Ctis dicuntur species, uti constat ex *l. in stipulationib. § 1. de V. O. Add. Dn. Frantzk. ad Π. L. 12. t. 1. nu. 14.*) *humana.* *Moraliter* seu *Juris intellectu* persona habentur *hereditas, l. mortuo 22. De fidejuss. & mandator. jung. pr. Instit. De stipulat. serv. ibiq; Cyprianus Regnerus in censur. Belgic. municipium, decuria, societas, d. l. 22. universitas. add. Magn. Dn. Frantzk. comm. ad Π. L. 3. t. 2. n. 40. Excell. Dn. Praeses exerc. 5. tb. 27.*

XLI. *Venter* quoque, i. e. foetus humanus in utero materno adhuc existens, *l. ult. C. de instit. & Substit. Corn. Brederod. in Lex. Jur. verbo Venter.* inter personas hic referendus est. *qui enim in utero sunt,* ait Julianus *in l. 26. De statu hom. in toto penè jure civili intelliguntur in rerum*
natu-

naturâ esse. Modò postea etiam vivus fuerit editus. qui namq; mortuina scuntur neq; nati neq; pro creati videntur: quia nunquam liberi appellari potuerunt, ut scribit Paulus in l. 129. De V. S. Jung. l. 1. §. si qua pragnans 9. Unde cognati l. 1. §. sed si matris 5. Ad S. Ctum Tertull. & Orphit. Add. Alphonsus à Carranza in tr. de Partu C. 2. §. 4. n. 49. qui ibidem nu. 5. 10. 12. Juliani, supra relatæ, assertionis generales affert limitationes quem etiam videsis in d. c. 2. §. 1. n. 1. 2. 4. 5. 7. 10. 15. 18. 19. 27. 30. Et hinc est, quòd ventris curatorì actio contraria concedatur, l. 1 §. sed etsi. 2. vers. idem. De contrar. tutel. & util. quæ in eo, contra quem datur, natam præsupponit obligationem, arg. pr. d. l. 1. An verò inter personas físicas, an eas solùm, quæ juris fictione personæ habentur, secundum LL. Romanas venter sit censendus, jam non disceptabimus. Videri poterunt eà de controversiâ Gœddæus in comm. de V. S. ubi ad l. 26. Alphonsus à Carranza d. c. 2. in pr. n. 5. & seqq. Add. quoque celeberrimæ Facultatis in hac Illustri Salanâ Juridicæ Magnificus Ordinarius & Decretal. Profess. Dn. Erasmus Ungepaür in Exercit. Justinian. 14. q. 6. in Ajo. n. 1. & seq.

XLII. Persona autem non est *Mortuus*, qui ideò Obligationis adeò capax non habetur, ut quamvis vivus fuerit obligatus, tamen, simul ac è vivis excesserit, obligationem (*quæ tamen non idcirco interit, sed ut plurimum in hereditate remanet, & cum hac in heredem transit.* Jung. Exc. Dn. Præses exerc. 27. th. 24.) sustinere desierit. Tritum enim est: *Mors omnia solvit.* Nov. 22. c. 20. in pr. ibiq; Gothofred. Facit etiam. l. si patre redempto. 15. De captiv. & postlim. Et ex hac etiam ratione pluribusque aliis defunctorum corpora ob relicta debita detinere prohibitum est, & hoc tentantibus prætereà gravis pœna est statuta; de quâ vide l. ult. C. de sepulchro viol. Nov. 60. c. 1. Nov. 115. c. 5. §. 1.

XLIII. Oportet verò *Personam* constituendi De-

bitoris à Creditore esse distinctam. Exc. Dn. Praeses
exerc. 38. lib. 46. Nam, nemo, inquit Seneca libr. 5. de benef. 8.
sibi debet. item: Verbum debere non habet nisi inter duos lo-
cum. & porro in f. cap. 9. dat nemo, ait, nisi alteri: debet ne-
mo nisi alteri: reddit nemo nisi alteri. id intra unum non
potest fieri, quod toties duos exigit. Et qui possibile esset,
ut sibi ipsi quid solvere quis obligetur, cum in solutione,
Obligationis sine, de ratione causandi sit, quod, eam fieri
justum sit, justum autem non nisi inter plures esse possit.
nam αὐτὸν ἐν πλείωσιν, ait Philosophus 5. Ethic. c. ult. ἀνάγκη
εἶναι τὸ δίκαιον καὶ τὸ ἀδίκον, i. e. semper inter plures esse
justum & injustum necesse est.

XLIV. Hinc ergò I. qui Debitor Creditoris defun-
cti heres fit, Debitor permanere nequit. Resolvitur Obliga-
tio civiliter, cum in eandem personam jus creditoris de-
bitorisque devenit. l. verborum 107. De solut. & liber. Con-
currunt autem jus debitoris & jus creditoris, cum debi-
tor creditoris fit hæres, quia defuncti personam hæres
repræsentat. Nov. 48. in præf. l. hereditas 62. De R. I. Itaque ne-
cesse est, obligationem à defuncto relictam activam &
huic è regione respondentem obligationem passivam
tali in casu interciderere. l. debitori. 50. De fidejussor. Aliud ta-
men dicendum est, cum hæreditas est restituenda. nam
quia tunc, qui hæres est & restituere tamen tenetur, stri-
cto saltem jure hæres est; vid. Bachov. ad Inst. L. 2. t. 23. text. 3.
pag. 601. col. 2. post m. jurium verò à defuncto relictorum
exercitium ad eum, cui restitutio fit, h. e. fideicommissa-
rium, reverà pertinet, §. 3. & 4. Inst. De fideicomm. hered. &
S. Ct. Trebell. adeoque fideicommissarius in effectu hæres est:
ideò inane illud hæredis nomen meritò etiam veri seu
cum effectu hæredis propriis consequentibus destitu-
tum

tum est, ut itaque heres, qui restituit, debitor permaneat. *l. ita tamen. 28. §. si ex Trebelliano. 11. Ad S. Ctum. Trebell.* Sed quid, si hereditatem heres vendat, dicendum? Videatur *l. si hereditatem. 20. §. 1. l. venditor. 2. §. si Titius. 15. §. cum quis. 18. De heredit. vel act. vend.* Illud adhuc addendum visum est, quod obligatio, quæ inter defunctum & heredem antè fuerat, non intercidat ultra portionem hereditariam, sed si est ex semisse vel pro parte heres, pro eâ duntaxat parte, si ex asse, omnis etiam intercidat. *d. l. 50. De fidejussor. l. si adulta. 6. de heredit. action. l. licet adieris. 14. C. ad L. Falcid. l. si ab eo. 7. C. de negot. gest.*

XLV. II. *Pater* (quo avum quoque vid. *l. iusta interpretatione. 291. De V. S. & proavum*, cum nepotes & pronepotes in potestate habere possint, *l. cum oportet. in pr. C. de bonis qua liberis. intelligimus*) filii, (*nepotis & pronepotis per dd. 11.*) quem in potestate habet, aut filiusf. patris, cujus in familia est, Debitor esse nequit. *§. hi qui 12. Inst. De oblig. qua ex delict. nasc. l. lis nulla. 4. §. l. si à me. 11. De judiciis. l. actiones. 7. De O. & A. l. pater. 15. §. 1. De pecul. castrens.* Ne cum filiofam. pater furti agere possit, natura rei impedimento est: quod non magis cum his, quos in potestate habemus, quam nobiscum ipsis agere possumus, inquit J. Ctus Paulus in *l. 16. De furtis.* Et naturâ pater & filius eadem esse persona penè intelliguntur, dicit Imp. Justinianus in *l. ult. C. de impuber. & aliis substit.* Consona quoque docet Philosophus *5. Ethic. 10.* quando negat τὸ δίκαιον πολιτικὸν esse inter patrem & liberos, quamdiu hi illius pars esse videantur. οὐ γὰρ ἐστίν, inquit, ἀδικία πρὸς τὰ αὐτὰ ἀπλῶς. τὸ ἢ κτῆμα καὶ τὸ τέκνον, ἕως αὖ ἢ πηλικὸν καὶ μὴ χωρισθῆναι, ὡς πρὸς μέγας αὐτῶν. αὐτὸν δ' εἰς περιουσίαν βλάπτειν. διὸ καὶ ἐστὶν ἀδικία πρὸς αὐτὸν. εἰ δ' ἄρα ἀδικόν, εἰ δὲ δίκαιον τὸ πολιτικόν. i. e. Non enim cuiquam in sua injustitia locus esse potest absolutè. Atqui possessio, seu mancipium &

liberi usq; eò, dum parvi sint, neq; à patre sejuncti, partis in-
star sunt. Seipsum autem nemo damno afficit consultò. Non
est igitur cuiquam in seipsum iniustitia locus. Ex quo efficitur
neq; injuria neq; juri civili locum esse. Extraneo autem fi-
liusfam. ex omnibus causis tanquam paterfam. obligatur.
l. filiusfam. 39. De O. & A.

XLVI. Cùm verò hæc unitas inter patrem filiumve
famil. in potestate, quæ patri in filiumf. competit, fun-
detur: arg. l. Imperator. 50. ad S. Ctum Trebell. l. si quis 56. §. 1. De
fidejuss. d. l. 16. De furtis. Cujac. in repetit. solen. ad t. II. De O. & A. ad
l. 7. qui, vinculum, inquit, patriæ potestatis ex duabus unam personam
facit, ut contraria ratione dissolutio illius vinculi ex una facit duas.
Confer Theophil. L. 2. Instit. t. 20. §. 32. vers. (qui secundum Latinã in-
terpr. Curtii incipit) nam quoniam, & vers. seq. sequitur inde,
quod, quatenus hæc cessat, eatenus filius separata censea-
tur persona. Est autem filius patriæ potestati exemptus (1)
ratione Peculii castrensis & quasi-castrensis: d. l. 15. §. 1. De
pecul. Castr. In quibus ipse vice patrisfam. fungitur, l. 2. Ad
S. Ctum Macedon. l. 6. in pr. C. de bon. quaelib. l. ult. §. in his itaq; 1.
C. de inoff. testam. Nov. 123. c. presbyteros. 19. Add. Ægid. Hortens. in
comm. a. Inst. ubi ad pr. t. Quib. non est permiss. fac. test. ac proin-
de eorundum respectu patrem debitorem creditoremq; ha-
bere potest. Unde etiam pater, qui rem castr. peculii sub-
traxit, ob furtum cominissum à filio actione (in factum,
propter l. parens. §. 1. De obseq. parent. & patr. prest. Accurs. ad l. 52.
§. 2. De furtis. & Interpp. comm. teste Bachovio ad l. 4. t. 1. text. 10.
temperatâ ad similitudinem exempli in l. non debet. 11. §. 1.
De dolo., etsi filius sit emancipatus, arg. l. 5. C. eod. t. l. 2. & 9. De
obseq. parent.) conveniri potest. Add. pr. l. 2. De contrab. emt.
l. 15. §. 1. De pecul. castr.

XLVII. (2) Ratione peculii adventitii Extraordi-
narii; quod quibusdam etiam adventitiũ Plenum dicitur.
Nam & hoc filiusfam. omninò sibi habet, & si quid ex
hoc

hoc damni vel lucri contigerit, id sibi imputare debet.
*vid. l. ult. in pr. versic. Sancimus in f. & vers. seq. C. de bon. quæ libe.
l. 6. §. 2. vers. sin autem. l. 7. C. de N. 117. c. 1. N. 118. c. 2. vers. si verò. N.
134. c. 11. Pac. in analys. Cod. L. 1. 27. n. 11. Gudelin. de jure noviss. L. 1.
C. 13. adeoque hujus etiam respectu inter patrem & fili-
umfam. obligatio consistere potest.*

XLIIIX. (3) Ratione proprietatis in peculio adventi-
tio Ordinario. Hæc enim ad filiumfam spectat: ususfru-
ctus autem illiusdem pertinet ad patrem. §. 1. I. Per quas
Person. nob. acquir. Et ejusdem etiam respectu patrem inter
filiumquefam. civile vinculum puto posse subsistere. nam
si e. g. pater in hujus peculii res ad illorum substantiam
conservandam magnas, & tamen necessarias, aut uti-
les, fecerit impensas, jung. Magnif. Dn. Frantz. ad II. L. 7.
r. 1. n. 19. ex hac causâ filiumf. patris debitorem factum
puto. rursus si pater, administrator illiusdem peculii,
l. 6. §. 2. C. de bon. quæ liber. rem illius fortè non jure aliena-
verit, aut aliàs in eo damnum dederit, ipsum filio idcir-
co, opinor, obligatum esse arg. l. ult. §. ipsum autem. 5. versic.
Non autem. C. de bon. quæ liber. Consentientes videntur Do-
nellus 12. comm. 23. Ludov. Schrader. in comm. de Contractib.
ubi ad t. Inst. de stipul. serv. n. 12. & 22. Vigelius in method. jur. ci-
vil p 5. lib. 15. c. 12. except. 5. jñcl. p. 2. lib. 4. c. 23. q. 1. except. 2. & seqq.
Nicol. Mozzus de contract. t. De emt. & vendit. rubr. de person.
quæ poss. em. n. 6. allegans etiam Bartolum, & Hunnius in
Encyclopæd. jur. univ. p. 3. t. 1. c. 1. n. 10. qui præter jam citatos
Donellum & Mozzum etiam consonos citat Corasium,
Gomezium, Fabianum de Monte & Mudæum.

XLIX. III. Ex his, quæ tradidimus in th. XLV., sequi-
tur, quod nec Frater fratris, si ambo sub ejusdē patris pote-
state sint, debitor esse queat. Nam si frater in fratre obliga-
tionem acquireret, eam patri acquireret, & sic pater
filiumf.

filiumf. debitorem habere inciperet. quod legitimam patrem inter filiumve fam. existentem unitatem non admittere, in d. th. XLV. suprâ probatum est. Et sic jus esse, argumento etiam est *l. frater à fratre* (quæ vulgò inter damnatas leges refertur juxta vulg. versic.

damnetur Mater. damnetur Lectag. Frater damnetur. Gallus damnetur, Filium & Ejus.)

38. De condict. indeb. facitque §. 9. & 10. Inst. de testam. ordin. Cōfer. Hillig. ad Don. Enucl. L. 12. C. 23 lit. B. Si verò fratrum alter patriæ potestati sit exemptus, aut certo respectu habeatur exemptus, jung. th. 46. & seqq. quod tunc obligationem inter ipsos impediatur, nihil video, cum ratio, quæ aliàs ei rei impedimento est, tunc cesset.

L. IV. Nec Dominus servo, aut Servus domino debere potest. Nam Domini servus totus est, ὅλως δεσπότης, ut ait Philosoph. i Polit. 4. Servus est domini κτήμα, adeoq; dicitur quemadmodum pars ad totum, ut constat ex Philosophi traditis in eodem loco. Quam sententiam quoque confirmat J. Ctus Paulus, in l. si quis. 56. De fidejussor. §. 1. sic ajens: *Si servus à Domino stipuletur, nec fidejussor acceptus tenetur: quia non potest pro eodem & eidem esse obligatus.* add. Donell. ad l. 38. §. 17. De V. O. n. 24. Singulare jus est, quod servus domino, ut eum manumitteret, promittens pecuniam, etsi dominus post manumissionem rursus non sit stipulatus, actione in factum teneatur. *l. promissa. 3. C. an serv. pro suo fact. post manum.* Add. Anton. Perez. ad eund. tit. n. 1. in f. Simile jus singulare habetur in casu legis 7. §. 8. in pr. junct. vers. *Expromissori in f. De dolo malo.* Quod verò de servo diximus, idem asserendum est de Statu-libero. nam hic ante diem venientem vel conditionem existentem liber non est. *Mej. in C. I. A. L. 40. (quem tractavit in f. votum. 2.) l. 7.* Sed num eodem modo se res habet cum eo, qu

qui *b. f. nobis servit*? Non sanè : sed hic domino putativo ipso jure potest obligari, *l. homo liber. 54. §. item 1. & seq. De acquir. rer. dom.* etiamsi ex ipsius domini putativi re promittat *pr. l. liber homo. 118. De V. O. d. l. 54. §. 3. Add. l. is qui. 13. §. si libero. 2. Commodati. & Gæddaus in tr. de contrab. & committ. stipul. c. 7. concl. 7. n. 83.* cujus tamen de obligatione non antè constat, quàm detectus fuerit error, ipsumq; liberum esse, patefactum. *Add. Gædd. d. concl. 7. n. 79. & seq.*

LI. A Subjecto *Quod* pergimus ad Subjectum *Quo*. Per hoc illud intelligimus in subjecto *Quod* existens accidens, in quo immediatè & adæquatè recipitur potentia passiva Obligationem fundans *Confer. Castanus in distinctionib. verb. Subjectum.* Est verò illud hîc loci *qualitas, per quam quis aptus est ad finem obligationis solutionem.*

LII. Ad hanc *solvendi facultatem*, quâ ipsa ut subjectum *Quo* Potentiam, Obligationem fundantem, passivam consequenterq; ipsam etiam Obligationem sustinere debet, videtur *satis* esse, si sit *juris*, nec requiri, ut etiam facti sit, h. e. Debitor ipso etiam facto simul potens sit, debitum præstare & realiter solvere. Nam hoc inde puto clarere, quòd, *qui bonis cessit*, debitis, ad quæ bona cessa non suffecere, nihilominus maneat obnoxius nam *qui bonis cesserint, nisi solidum creditor receperit, non sunt liberati*, dicit Imp. Alexander in *l. C. qui bon. ced. poss. idem que probant. l. 6. l. 7. De cess. bonor. §. ult. Inst. De actionib.* Jam autem qui bonis cessit, ipso facto tum solvendo non est *Pari modo filiusfam., etsi in bonis nihil habeat*, & sic ipso facto non sit solvendo, tamen obligatur, *arg. l. filiusfam. 39. De l. & A. & conveniri potest. Confer. Magnif. Dn. Frantzk. a*

E

L.

L. 14. l. 5. n. 4. Potest ergo quis Debitor esse, quamvis factus & realiter solvere nequeat. Ad hoc verò, ut Obligatio plenum effectum nancisci, & Debitorem exactioe, quæ executionem, quâ Creditor debitum consequatur, secum ferat, exigibilem reddere queat; ad hoc, inquam, necesse est, ut potestas solvendi *simul facti sit*, & Debitor actu habeat, quomediante realem debiti facere queat solutionem. aliàs enim locus erit proverbio: **Wo nichts ist/hat der Kenser sein Recht verlohren.**

LIII. Prædictæ solvendi facultatis *pars potentialis non videtur habenda Debitoris libertas*, ut nec *patibilitas corporis afflictivarum poenarum*. Et *Libertas* quidem ad eò non est res, in quâ Creditor potentiam suam activam exercere, & per ejusdem privationem aut mutationem in suum commodum vergentem sibi satisfieri, procurare queat, ut ne quidem Debitor ipse, deliberatò licet agat, validâ conventionem ipsam in obligationem deducere possit; ut probabunt jura infra, sub cap. de Fine, adducenda, & argumento est *l. si quam. 4. C. de oper. libert. ubi jung. Gothofred. in not. lit. y.* Multò minus autem hominem propter æs alienum in servitutem rapere, vel ut serviat, licebit cogere. *ob æs alienum*, ajunt Impp. Dioclet. & Maxim. in *l. 12. C. de O. & A. servire liberos creditoribus jura compelli non patiuntur*. Hujus autem juris rationem Gaspar Beatig in *tr. de Inop. Debitor.* (qui habetur in *tr. tractatum. tom. 3. p. 2.*) c. 1. n. 7. reddit, quòd debitum res sit æstimabilis, libertas autem *inæstimabilis*. quod posterius certum est ex *l. libertas. 106. l. non est. 176. §. 1. De reg. Jur. & §. cum ergo. 7. Inst. qui & ex quib. caus. manum*. Adde quoque, quòd libertas, res privata esse, negetur, & à J. Cto Marciano in *l. si quis rogatus. 53. De fideicomm. libert.* inter *publicas* referatur. Si autem quæ sunt publicæ, privatorum potestati non subjacent,
nec

nec libertas à privato rectè onerabitur. Cæterùm quæ Jure antiquo & ex LL. XII. tabular. in Debitoris etiam libertatem Creditoris fuerit potestas, & quando jus illud fuerit mutatum, eâ de re videri possunt A. Gellius *noct. Attic. L. 20. C. 1.* Livius *decad. 1. L. 8. anno U. C. 427.* Joh. Rosin. *in antiq. Rom. L. 8. C. 6. ubi ad part. tert. XII. Tabb. leg. 34.* Covarruvias *L. 2. variar. resolut. 1. Heig. part. 1. q. 35. n. 25. & seqq.*

LIV. Dicis: privato utique in privati etiam libertatem competere posse potestatem, cum patronus libertum propter ingratitude revocare possit in servitutem, *l. 5. De jur. patron. l. 2. l. 3. l. 4. C. de libert. & eor. liber.* Verùm (1) hic casus est singularis & juris extraordinarii *per l. 1. C. d. t. l. 7. Π. ad S. Ctum Silan.* (2) Quia de causandi ratione, quæ est in fine hujus, patrono in libertum ingratum competentis, juris, non est utilitas patroni pecuniaria, sed hoc solum eo intenditur, ut ingratitude liberti puniatur: ideo nec ista potestas patroni activa libertique ingrati passiva obligationem, qualem nos hîc tractamus, constituere posse videntur.

LV. Et ne illo quidem in casu, quo Debitor in carcerem publicum, (qui alicubi *der Schuldthurm*) usque dum Creditori satisfaciatur, *vid. Exc. Dn. Præses exerc. 36. th. 3. Hab. Giph. tr. de ordin. judic. 1. c. 27. Matth. Brunus. in tr. de cess. bon. q. 5. quarta quest. princip.* detrusus tenetur, jus libertatis sui parte quâdam minuitur, quæ Creditori in vicem solutionis debiti sive totalis sive partialis cedat. Sed fit ista incarcerationio alium in finem, ut nempe Debitor tædio & molestiâ carceris affectus de quacunque ratione expediendi debiti cogitet, *vid. Bach. ad Tr. v. 2. disp. 24. th. 4. lit. K. pag. 565.* Nec, qui Creditor per talem incarcerationem pecuniarium commodum sentiat, intelligi potest.

LVI. Quod verò nec illa Debitoris *qualitas*, per
E 2 quam

quam ipse, in corpore pœnas pati, aptus est, solvendi facultatis pars sit, jung. tb. 53. & 51. confirmari fortè poterit per l. 6. §. in pecuniaria. 4. C. de custod. reor. Add. Mejer. in C. 1. A. L. 42. tit. 3. tb. 5. num. 7. ibiq; consentientes citati Cujacius & Bocerius, & Giphanius tract. de ord. judic. 1. c. 27. pag 213. ut & Gomez. ad t. Inst. de Actiõ. ad §. pœnales. n. 16. & rationem sequentem. Quicquid Obligationis fini solutioni est non proportionatum, illud etiam non est subjectum accidentis Obligationis. Prædicta qualitas est Obligationis fini nõ proportionata. E. Prædicta qualitas non est subjectum accidentis Obligationis. Major vim habet à Canone illo Philosophico: *Omne accidens est in subjecto fini suo proportionato; quo de vide Cl. Dn. Stahl. t. 14. reg. 2.* Ex illius enim canonis enunciatione hæc æquipollente: *Omnis accidentis subjectum est subjectum fini ejusdem accidentis proportionatum;* virtute Conversionis, per Contrapositionem factæ, sequitur: *Quicquid non est subjectum fini accidentis proportionatum, idem neg. subjectum est ejusdem accidentis.* nam in conversione per Contrapositionem, quæ de videri possunt Dominic. Bannes, Petrus Fonseca, & Logici alii, à convertenda ad conversam valet consequentia. Andr. Kesler. tr. de Consequentia. c. 11. n. 5. Minor inde patet, quia Creditoris res pecuniaria per infictas Debitoris corpori pœnas augmentum haut capit, cum tamen de ratione finis Obligationis sit, ut augeat commodum Creditoris pecuniarium, ut infra ostendetur.

LVII. Huic tamen sententiæ adversari videtur illud commune: *Qui nõ habet in ære, luat in corpore;* quod cõfirmari quoq; videtur textu in l. fin. de in jus voc. l. qui ades. 9. De incendio. l. si quis. 7. §. in servos. 3. De jurisd. l. fin. De in jus voc. l. 4. C. de servis fugitiv. Verum primo regulam istam non ad obligationes ex contractu, sed ex delictis descendentes pertinere, liquidum & ab omnibus probatum dicit Bachov.

*cl. innot. ad par. w. ej. D. 42. non ex
 delictis, & de delictis etiam adductæ ll. saltem loquuntur.
 Confer. Eberhard. Speckban qq. jur. cent. 1. q. 40. n. 4 & seqq. qui
 ibi alias quoq; prædictæ regulæ limitationes affert. Deinde distin-
 guit porrò Covarruvias 2. var. resolut. 1. n. 8. inter pœnam
 pecuniariam, quæ datur privato vindictæ loco, & publi-
 cæ ultionis vim habet, & eam, quæ privato addicitur lo-
 co damni illati. priorem dicit commutari posse in cor-
 poralem, posteriorem non itidem, eandemq; sententi-
 am teneri à Johanne Andrea, Abbate in c. Odoardus. 2. X.
 de solut. & Joh. Rupellano forens. instit. lib. 4. c. 6. Similiter
 sentire videtur Anton. Faber in suo Cod. l. 7. t. 30. defn. 4. n. 3.
 (consentientem allegans Thessaur. decis. Pedemont. 182. n. 5.
 & 7.) dum ob pœnam, quæ parti tanquam interesse ad-
 judicatur, concedit invito adversario debitorem bonis
 cedere posse. Ejusdemq; sententiæ est Carolus de Gras-
 sis & Stephanus Aufrerus; si credimus Hunnio in Ency-
 clopæd. p. 2. t. 27. c. 2. num. 11. & Gutirez. tr. de juram. confirm.
 p. 1. c. 17. n. 27. qui consentientes quoque adducit Imo-
 lam, Rupellanum & Lopezium. Hac ergo distinctione
 admisâ, adhuc verum permanet, Obligationem quæ
 propriissimè est privata, h. e. solummodò ad privati in-
 teresse sarcendum tendat, subjectum Quo sui Fund-
 menti non habere patibilitatem pœnarum corporis af-
 flictivarum. Sunt tamen, quibus ista distinctio displicet;
 qui generatim dicunt, ex delicto descendens debitum
 pecuniarium, si Debitor non sit solvendo, in pœnam
 corporis afflictivam posse mutari. Veruntamen hanc sen-
 tentiam quamvis ponamus verò consonam, fit tamen illa
 commutatio (1) extra ordinem per l. 1. §. fin. De pœnis. Add.
 Bachov. ad Tr. v. 2. disp. 30. th. 6. lit. G. & H. verb. Si reus solvendo.
 (2) nec per se tam privati ejus, cui per delictum damnum
 datum, quam boni publici causa. quod innuit etiam*



ratio, quæ hujus commutationis à Dd. solet afferri: *ne scilicet delicta maneant impunita*. Ex quo (3) fluit, quòd *invito Creditore* hæc *commutatio* debiti pecuniarii in pœnam corporis afflictivam, *quatenus* per illarum perpessionem debitum, proprium & privatum Creditoris interesse continens, simul exsolvi sit intelligendum, *fieri nequeat*. Nicol. Boërius *decis.* 349. *num.* 10. *cum Dd. ab ipso allegat.* Hoc verò admissio jam (4) ultrò patere puto, quòd Obligationis *Subjecti Quo* pars non sit in debitore existens pœnarum corporis afflictivarum patibilitas. Nam si ipso jure ista qualitas pars *subjecti Quo* esset, non in Creditoris arbitrio relictū foret, realis solutionis loco pœnā corporealem acceptare velle aut nolle, sed Creditorem vel invitū tali, per Judicem Reo sustinendā impositā, contentum esse oporteret; quod tamen ipse Ludov. Molina *tr. de Just. & Jur.* 2. *disp.* 572. *n.* 17. *prope f. Wamesius Responsor. tom.* 2. *consil.* 83. *n.* 4 & suprā citatus Boërius admittendum negāt.

LIIX. *Solvendi autem facultate* (*jung. th.* 51. *& seq.*) *destituuntur I. Servus*. Quī enim ipse, cū totus sit domini, *jung. th.* 50., & ad hunc omnis, quæ à servo provenire potest utilitas pecuniaria (vel etiam alia) spectet, *arg. §. 3. Instit. Per quas person. nob. oblig. acquir.* Creditoris incommodum quid solvere poterit? Meritò ergò Ulpianus *in l. 41. De pecul. nec servus*, scribit, *quicumque debere potest, nec servo potest deberi*, & rursus *in l. 22. De reg. Jur. in personam servilem*, ait, *non cadit Obligatio*. Nec obstat, quod servus *in l. 14. De O. & A.* ex delicto obligari dicatur. Nam *isam* servilē obligationem, quia valdè anomala est, à propriissimè dictā obligatione, quæ sola nobis hīc tractatur, jam suprā *thes.* 12. sejunximus. Cæterum *casus specialis*, quòd, quod quis servus promisit, liber factus servare tenetur, habetur *in l. & eleganter. 7. §. servus. 8. in pr. juncto vers. Ex promissori.*

sori. De dolo malo. Idem verò, quod de servo asseruimus, dicendum est de *Statu-libero* per rationem suprà *tb. 50.* adductam, & textum in *l. 1. C. an servus pro suo facto post manumiss.* Anton. Perez. *add. t. n. 1.* Quod autem de servo dictum, intelligendum est de *servo verè tali.* Nam qui *bonâ f.* nobis *servit,* liber tamen homo est, hic extraneo (de domino putativo vide in *d. tb. 50.*) *obligari* potest, *præterquam* ex causis, ex quibus domino suo putativo acquirit: Cujusmodi *tātum* duæ sunt, 1. si ex operis suis, 2. si ex re domini putativi acquirit. *§. 1. Inst. Per quas person. oblig. nob.* Ex quibus enim causis talis obligationem sibi acquirit, ex iisdem etiam aliis se potest obligare. Atqui *b. f.* serviens liber homo ex causis, à duabus, modò *ex d. §. 1.* enarratis, diversis obligationem sibi acquirit. Ergò ex iisdem etiam aliis se obligare potest. *jung. d. tb. 50. inf.*

LIX. II. *Monachus.* Ingredientes enim monasterium res omninò simul sequuntur, iique domini earum, ulterius ullo modo non sunt, ut sancitum est in *Nov. 5. c. 5. Authent. ingressi. C. de SS. Eccles. & Auth. Nunc autem. C. de Episc. & Cler.* (quod Codicis Jure aliter se habet, ut patet ex *l. si quis. 20. C. d. t. Add. Gudelin. de jure noviss. L. 6. C. 10.*) Qui verò ipso jure quicquam habere, sibi que acquirere nequeunt, illi nec alteri quid solvere possunt. Est tamen, hoc intelligendum de *debitis post monasterii ingressum contrahendis.* *Creditoribus* enim, quibus *ante ingressum* fuere obstricti monachi, per religionis professionem non præjudicatur, sed his *salva manent jura.* *dd. aub. Nunc autem. C. de Episcop. & Cler. & N. 5. c. 5. junctà l. non possunt. II. De jure fisci.*

LX. III. Solvendi facultate quis etiam destituitur, si *res solvenda* ejus est conditionis, ut *præstita non sit possibilis.* Sed hæc de re infrà sub cap. de *fin. oblig.* agemus.

LXII. De

LXI. De Subjecti tractatione consideranda superest **Conditio seu Accidens, per quod Subjectum** ad Obligationis receptionem ultimò habilitatur, limitatur, & adæquatum quasi redditur. Hujus cognitio perquam necessaria est. Nam si $\pi\acute{\alpha}\delta\textcircled{\text{C}}$ demonstrandum ratione cujusdam accidentis inest subjecto, id eo limitandum, quòd accidens illud Subjectum limitans causa sit $\acute{\omicron}\pi\ \acute{\epsilon}\sigma\iota$, quâ intelligitur, $\pi\acute{\alpha}\delta\textcircled{\text{C}}$ demonstrandum ei inesse, & pars $\delta\iota\acute{\omicron}\pi$ causæ seu medi, quum demonstratur perfectè; ut docet Jacob. Schegkiius *in comment. De demonstrat. L. 14. pag. (edit. Basil in folio) 422.*

LXII. Est autem hoc Accidens, ut summatim illud describamus, *qualitas legitima, qua quis ex causâ contractus, vel delicti, vel quasi ex causâ contractus vel delicti, est quid habens, quod alteri ab ipso præstari Justinianeo Jure justum sit.* Sed agè $\tau\acute{\omega}\pi\omega$ factam Accidentis hujus definitionem nonnihil uberius illustremus & per partes confirmemus.

LXIII. *Qualitatem* vocavimus, quia se habet ut $\pi\acute{\alpha}\delta\textcircled{\text{C}}$ sive affectio substantiæ mobilis, quæ motus causa est. *Add. Philosoph. 4. Metaphys 14. & Dn. D. Dreier. in philosoph. primâ diss. ut. 8. ib. 20.* Est enim ipsa *causa motus & mutationis illius moralis, quâ quis debitor efficitur*, hoc est, in eam inducitur conditionem, ut necesse habeat, quid pati à se solvendum exigi, nî sua sponte rem exigibilem præstet.

LXIV. *Legitimam* diximus, quia est à $\nu\acute{\omicron}\mu\omega$ de-
p

pendens. Nōm̄ autem sive Lex principium habet duplex, Intellectum scilicet & voluntatem Legislatoris, vid. Cl. Dn. Conrad. Horn. in philosoph. moral. L. 4. C. 13. n. 15. & confer. etiam Francisc. Suarez. de L. L. lib. 1. c. 5. n. 20. juxtaq; duplex hoc principium etiam duplicis est operationis. Nam ut opus est intellectus, regulæ vice fungitur ostendendo, quid rectum, finique, qui Legislatori est propositus, consonum sit: ut verò Voluntatis opus est, vim habet obligandi. Considerata ergo Lex, ut opus est intellectus & regulæ officio fungitur, hujus qualitatis est principium: ut verò principium habet Legislatoris voluntatem, & obligandi vim continet, considerata Obligationem operatur; ut infra ostendetur, vid. Dn. D. Horn. cit. loc.

LXV. *Habendi* vocabulum in sensu morali hinc usurpamus. Morum enim in doctrinâ hujusq; potissimum parte, quæ de Justitiâ est, *non habere* singularem habet usum. quod vel ex Philosophi V. Ethic. VII. capite constare potest: in quo illorum, quos inter constituenda sit æqualitas, alterum plus alterum minus habere, dicit: ut sic Philosopho *plus habere in d. loc.* sit, in eâ conditione esse, ob quam apud eum, qui in eâ est, secundum leges, de Justitiâ constituentes, intelligatur quid existere, quòd ab eo detrahendū alteriq; qui ipsius respectu minus habet, & deterioris conditionis est, addendum sit. Nobis ergo in præsens *quid habens, quod alteri ab ipso præstari Justinianeo Jure justum sit*, is dicitur, qui illâ in conditione est, quâ juxta Jus Justinianicum estimatus quid à medio, in eodem Jure definito, excessu deflectens censetur tenere, quod inæqualitatis corrigendæ causa ab ipso accedere alteriq;, qui ejus respectu deterioris est conditionis seu minus habet, accedere debeat.

F

LXVI.

LXVI. Quòd autem *omnis Debitor* intelligatur *quid habere, quod ad alterum secundum Justitiam spectet*, puto cuius manifestum fieri ex *consideratione Finis*, qui Obligatione intenditur. Hic enim est, ut Debitor Creditori quid solvat, quò inter ipsos æqualitas constituatur justumque servetur, ut infra suo loco ostendetur. Jam verò, quos inter constituenda est æqualitas, horum alterum ante æqualitatis constitutionem plus, alterum minus æquo habuisse, necesse est: cum non nisi inter habentes inæqualia juri *ἐπὶ τὴν οὐδυνότητα* (ad quod pertinere puto Obligationem) sit locus, ceu docet Philosophus *in d. 5. Ethic. 7.* Sequitur itaq; Debitorem, dum eà in conditione est, ut in æqualitatis corrigendæ causà ipsi quid detrahi, & Creditori adjici debeat, respectu Creditoris plus æquo habere. Æquo autē plus habere in bonis, in quibus fortunę prosperitas & adversitas versatur *jung. Philosoph. 5. Ethic. 2.* quid aliud est, quàm quid habere, quod secundum Justitiam ad alterum spectet ipsiq; ut suum sit tribuendum?

LXVII. Porro, ut prædictam Qualitatem ab aliis omnibus, quæ subjecta ad alia *πρὸς τὰ* moralia apta reddunt, qualitatibus fecerneremus, addidimus (in ejusdem descriptione, *ex causà contractus, vel delicti, vel quasi ex contractus vel delicti causà* hanc Subjecto competere, cum ipsa sola ex his oriatur.

LXVIII. Sunt autem *quatuor illa negotia cause sive causalitates*, quæ ex parte Subjecti ad productionem hujus Qualitatis requiruntur, ob quarum concurrentiam etiam Obligatus postea suæ obligationis causa fuisse dici potest ac solet, *l. si mulier. 22. verb. Obligatione se illigare. C. ad S. Ctum Vel-lejan. l. 2. II. De O. & A. l. Imperatores. 34. II. De jure fisci. l. fin. C. ad L. Jul. Majestat. Confer. Hugo Grotius de jure B. & P. L. 2. C. 20.*

n. 2. Et per *Qualitatem*, cum habitudine seu respectu ad *prædictas causas limitatam*, *Subjectum* etiam *Obligationi adequari & proprium reddi* putamus. Ob illarum enim aliquam nisi *Subjectum* justo plus habeat, *Obligationis* non est capax. è contrario autem simul atque ob earum aliquam plus habet, statim ad obligationem perfectè aptum est. imò aptitudinem hanc statim & moraliter necessariò *Obligationis affectio* insequitur.

LXIX. Diximus causas *Accidentis*, *subjectum adæquatum reddentis*, generis esse quadruplicis, primumq; genus constituimus *Contractum*, alterum *Delictum*, tertium illa, quæ Dd. *quasi-Contractus*, & quartum ista, quæ vocant *quasi-Delicta*. & tot nec plures illius causas esse opinamur, salvam tamen cujusvis *Dissentientium* auctoritatem relinquētes. Nostræ sententiæ fundamentum existimamus haberi in §. *fin. Inst. De Obl. 17. §. 2. 3. 5. Inst. de Obl. quæ quasi ex contr. nasc. pr. §. 1. I. De Obl. quæ qf. ex delict. nasc. l. 5. §. 1. De O. & A. In d. §. fin.* ait Imperator: *aut ex contractu sunt* (sc. obligationes) *aut quasi ex contractu sunt, aut ex maleficio, aut quasi ex maleficio*. Jam verò si Imperator plures obligationis causas esse voluisset, probabile est, quòd ipsas etiã enarrasset, utpote cui causas *Obligationis* summatim ibidem enumerare fuit ^{erit} propositum. *jung. §. 3. & 4. inf. in proem. Instit. In pr. autem Instit. de Obligat. quæ quas. ex contr. & cæteris textibus, ex Institutionib. antè allegatis, Imperator & hujusdem Gaius, (vid. §. 6. in d. Proem. & Johan. Borcholt. in comment. ad Instit. ubi ad d. Proem. §. quorum.) qui J. Ctus audit exquisitissimus in libr. 3. aureor. sive rer. quotidian. (jung Borch. in tract. de O. & A. c. 1. n. 15) in d. l. 5. §. 1. & 4. sic argumentantur, ut, si obligatio aliqua non sit ex contractu, maleficio, aut quasi ex maleficio*

cio, colligant, eam quasi ex contractu esse, & si obligatio aliqua non sit ex cōtractu, sive quasi ex contractu, nec ex delicto, cōcludāt, eam quasi ex maleficio natam esse quod certè ratiocinium, si rectū nec vitiosum sit dicēdum, certissimū pręsupponere videtur, omnem obligationem aut ex cōtractu, aut quasi ex cōtractu, aut ex delicto, aut quasi ex delicto nasci. Cæterum est etiam hæc sententia plurimorum juris Interpretum calculo approbata. Eos inter, ut saltem quosdam referamus, est Ægidius Hortensius *in comm. ad Instit. ad §. sequens dirisio. de Obligat. inf.* & Julius Pacius *in analys. Instit. ubi ad d. §. fin. (quorum J. Ctorum prior vir sublimis ingenii, posterior J. Ctus è paucis accuratius dicitur Magnif. Dn. Frantzkiò ad Π. iit. De distract. pignor. n. 13. & t. De servitut. n. 65.)* item Nicolaus Vigelius *in method. jur. civil. L. 15. C. 1.* Hugo Donellus *L. 12. comm. jur. civil. c. 5.* Jacobus Cujacius *in recit. solenn. repetit. prælect. ad l. 1. Π. De O. & A. Hubert. Giphani. in lectur. Altorph. ubi ad l. 52. t. De O. & A. n. 2.* Just. Mejerus *in C. J. A. d. t. th. 6.* Petrus Gudelinus *de jur. noviss. L. 3. C. 8. & in Syntagm. regular. Jur. c. 13. n. 14.* Cyprianus Regnerus ab Oosterga *in disput. ad Inst. 15. th. 2. inf.* Dn. Gregorius Biccus *rer. quotidian. sect. 4. th. 7.*

LXX. *Pactum* autem nudum, quod sæpe in nostri Juris libris *pactum simpliciter* dicitur, ad illarum quatuor causarum nullam pertinet, neq; etiam ipsum per se constituit genus aliquod certum causarum Obligationis. Nullam enim ipsum producere valet Obligationem per expressos textus, *in l. juris Gentium. 7. §. sed cum. 4. & seq. ibi: ne ex pacto. De pactis. l. legem 10. C. De pactis. l. 1. C. de pactis. l. 1. C. de pactis convent. tam super dot.* Sic & in ΒΑΣΙΛΙΚΩΝ Lib. XI. t. I. (pag. 721.) τὸ ψιλὸν, dicitur, σύμφωνον ἀγωγὴν ἔκτελει, ἀλλὰ ὡδ' ἀγωγὴν. i. nudum pactum actionem non parit, sed exceptionem. Add. vetus J. Ctus Græcus in responso ὡς ψιλῶν συμφώνων, (quod habetur in tom. 2, Juris Græco-Roman. Job. Leunclavii

clavii, editi curâ Marq Freheri.) Arnold Vinnius tr. de pactis c. 6. Iob. Jacob. Wissenbach. disp. ad inst. 31 th. 11. Nudum verò pactum, ait Glossator Græcus ad d. Basilicor. t. 1. De pactis, lit. m. quatuor modis dicitur: vel cùm nulla subest causa: aut cùm convenerit dari fieri aliquid non antecedente datione vel facto. vel cùm ex intervallo fit, & duriores habet conditionem, quàm ab initio convenerit. item: nudum etiam pactum est, quod stipulatione subnixum non est. Græca verba sic habent: τὸ ψιλὸν σύμφωνον κτ' ὁ τρόπος λέγειται. ἢ τὸ ἀνδ' αἰτίας γεγονὸς, ἢ ὅταν τις εἴπῃ δεῦναι, ἢ ποιῆσαι τι, πρὸς ἡγεῖσά μιν, δόσεως ἢ ποιήσεως. ἢ ὅταν μετὰ χρόνον γένηται καὶ σκληροτέραν ἔχει αἰρεσιν πρὸς τὰ ἐξ ἀρχῆς δόξαντα. - ἐστὶ καὶ ψιλὸν, τὸ μὴ ἔχον ἐπερώτησιν.

LXXI. Dissentiunt quidem Anton. de Uffillis in comm. ad Inst. ubi ad t. De Actionib. §. in personam. n. 22. & quidam alii citati à Cl. Dn. Tabore in part. elem. Jurisprud. method. p. 3 f. 3. th. 37. in ἐκθ. Verùm propter clarissima, pro nostrâ sententiâ suprâ allegata, jura sententiæ illi πρὸς δόξαν assentire non possumus. Certè cum opponunt legem Naturales. 10. De O. & A. argumētari nobis videntur à non causâ ut causâ. Ex his enim J. Cti Pauli in. d. l. 10. contentis verbis: *Naturales obligationes non eo solo estimantur, si actio aliqua earum nomine competit: verùm etiam eo, si soluta pecunia repeti non possit; non magis sequitur, quòd omnis obligatio naturalis producat actionem, quàm ex illis verbis: Actionis competentia non eo solo estimatur, si in personam agere possis, verùm etiam eo, si possis in rem agere, sequitur, quòd cuiusq; competit actio, is in personam agere possit.* Aliarum, quas prætereà opponere solent, legum solutiones videri possunt apud Cl. Dn. Taborem d. loc. Arnold. Vinnium d. c. 6. n. 5. & seqq. Donellum Enucl. 12. comm. 9. post B.

LXXII. Oportet autem causas in th. XLIX. enu-

F 3

mera-

meratas, si ad Obligationis productionem efficaces esse debeant, *ex personis obligandorum principium trahere.* Certissimum enim est, ajunt Impp. Dioclet. & Maxim. in l. cum. te 3. C. ne uxor pro marito, ex alterius contractu neminem obligari. & factum cuius suum, non alteri, nocere debet. l. 155. De reg. jur. non debet alteri per alterum iniqua conditio inferri, ait Papinianus in l. 74. De reg. jur.

LXXIII. *Nostrâ ex personâ Contractus ortum trahere in sequentibus quoque casibus censetur.* I. Si quis per alium ut nudum ministrum & nuncium contraxerit. Quo casu contractus adeò totus principalis censetur personæ, ut persona intermedia, quæ ministerium præstat, planè non, sed solus Principalis ex ipso obligetur. l. qui autem. 14. §. fin. & l. seq. De pecun. constit. jung. Bachov. tract. de Actionib. disput. 8. th. 11. in exeg. pag. 119. in m. & duab. seqq. pag. II. Si institor aut navis Magister quæ tales, i. e. juxta legem præpositionis, contrahant. vid. l. 1. §. non autem. 7. & seqq. De exerc. act. l. cuicumq. 5. non tamen. 11. De Instit. act. juncto pr. l. ult. De exercit. act. principium enim horum contractus capiunt ex præponentium voluntate expressâ generali, quæ tunc prodit, cum Institor & Magister navis constituntur. Add. Bachovius d. disp. 8. th. 8. & 10. Cl. Dn. D. Hahn in observat. T. eor. Practic. ad parat. Wes. L. 14. t. 14. n. 2. Quinimò cum his qui contrahunt, quasi jussu præponentium contrahunt §. fin. Instit. Quod cum eo qui in alien. pot. l. si institor. 29. De reb. cred. Add. Aegid. Hortens. ad d. t. Instit. §. eadem ratione. Ipsi tamen Institor & Magister navis, si liberi sunt homines, etiam obligantur, per text. in l. 1. §. est autem. 17. l. si eum, qui. 5. §. 1. De exerc. act. §. 8. l. item. 7. §. interdum. 11. in pr. De S. Cro Macedon. Exc. Dn. Præses exerc. 17. th. 26. Add. Bachov. d. disp. 8. th. 11. & ex eadem obligatione post officii quoque depositionem

nem conveniri possunt. Nec refragatur nobis *l. fin. De institutor.* Nam in *d. l.* specie non proponitur Institor, qui cum aliquo contraxit, aut se institorio nomine obligavit, sed qui saltem ex officio Institoris ad fidem mensæ protestandam, certam pecuniæ summam penes præponentis mensam esse, scripsit. *Add. Mej. in C. l. A. L. 14. t. 3. th. 13. n. 9. Arn. Vinnius ad comm. P. Peckii in tt. Dig. & Cod. ad rem nauticam pertinent. ubi ad t. de Exercit. act. l. i. §. est autem. 17. in Not. lit. C.* Quam *d. l. 20.* mentem ostendunt etiam ejusdem legis verba finalia Græca, quæ in ΒΑΣΙΛΙΚΩΝ Lib. 18. t. 1. l. 20. pag. 349. hæc habentur: τὸ πρὸς τὸ δὲ ἀπὸδειξίω μόνον ἐποίησεν, i. hoc enim ad fidem mensæ duntaxat probandam fecit. ¶ Si Procurator nostram rem agans contrahat, arg. *l. pen. C. de instit. & exerc. l. Julianus 13. §. si curator. 25. II. De action. emt. l. Liberto 31. inf. pr. De negot. gest. Excell. Dn. Præses d. exerc. 17. th. 27.* etsi alter nesciat, hunc procuratorio nomine contrahere. æquè enim ut necesse non est, cum Institore contrahentem illius conditionem scivisse, si præponentem quoque velit obligatum habere: ita nec hoc in casu ad hoc, ut dominus ex procuratoris contractu obligetur, requiri puto, ut procuratoris conditio alteri nota fuerit, cum ad exemplum juris in Institore, hoc etiam jus, ut dominus ex contractu procuratoris obligetur, sit introductum. *per d. l. 13. §. 25. De act. emt. l. 31. inf. pr. De negot. gest.* Obligatur autem procuratoris ex contractu non solum Mandans & principalis, sed ipse etiam Procurator *per l. servum. 49. versic. & puto. Mandati. l. Papinianus. 14. De Public. in rem act. l. 7. C. si quis alteri vel sibi. Gl. in l. 67. De Procurat.* Aliud tamen dicendum est secundum Wamsium in *Respons. sive Consil. tom. I. consil. 54. n. 1.* & Dd. ab hoc citatos, quando constat contractum contemplatione Domini mandantis expressâ qualitate procuratorii seu man-

mandati initum esse: *hic enim*, dicit, *propter voluntatem*
contrahentium, obligatio & actio à procuratore in Dominum
rejicienda est, censeturq; procurator eo casu nudum ministe-
rium exhibere & contrahens cum Domino non procuratore
contrahere. Juris textus, quos citatus Wamesius hac pro senten-
tiâ adducit, sunt l. si pupilli. 6. §. 1. De negot. gest. l. & licet. 15. De pec.
constit. Add. Dn. Carpzov. decision. illustr. Saxonie. 10. IV. Si jussu
nostro (cui comparatur rati habitio l. 1. §. si ratum. 6. Quod
jussu. l. licet. 56. De judiciis. l. ult. C. ad S. Ctum Maced. quæ etiam
colligitur ex facto sigillum suum contractui conscripto
subjungentis. Gl. in l. 2. verbo Conquisita. C. de reb. alien. n. n.
alienand. Wegner. disspp. ad Inst. semestr. 16. th. 1. lit B.) etsi generali
l. 1. §. 1. Quod jussu. Mej. in Coll. Jur. Argent. d. t. th. 2. contra-
ctum sit. nam quodammodo cum eo contrahitur, qui jubet,
ait Ulpianus in d. t. l. 1. & fidem domini sequi videtur, qui
jussu illius cum servo negotium gerit. §. 1. Instit. Quod cum
eo, qui in alien. pot. ubi jung. Hortens. Et hoc etiam in casu
ipsi, cum quibus jussu alterius contraximus, si liberi sunt,
(secus est, si servi. arg. §. 6. Inst. De inutil. stipul.) nobis obli-
gantur. per l. 2. in pr. Quod cum eo, qui in alien pot. l. 3. §. sed utrum.
4. vers. Proinde si jussu. De minor.

LXXIV. V. Pupilli quoq; Minoris vel alius Curato-
rem habentis, facit l. 2. C. de curat. furios. censentur contra-
ctus, quos Tutor vel Curator ipsorum nomine per l. si credi-
tor. 4. C. si tutor vel curat. Add. Mejer. in C. I. A. L. 26. tit. 9. thes. 4.
bonâ fide Ad', tamen Excell. Dn. Præses exerc. 25. th. 24. celebra-
verint. Nam illorum, quibus præpositi sunt, vice Tutor
& Curator funguntur per l. qui fundū. 7. §. si tutor. 3. Pro emto-
re. vid. Donell. ad l. 38. §. 17. n. 51. & seqq. De V. O. Matth. Cuno tr. de
pactis. L. 1. C. 20. n. 2. Horum ergo ex contractibus ipse pupil-
lus, & qui sub curatore est, obligantur l. illud queritur. 4. §. 1.
De eviction. l. cum quadam. 26. C. de administrat. tutor. vid. tot. t.

π. &

π. § C. quando ex facto tutor, ibiq; Mejer. in C. I. A. th. 4. 5. 6. & Excell. Dn. Praeses d. th. 24. Actio tamen non directa, sed utilis est, quæ tunc contra ipsos pupillum, minores & alios, qui sub curâ, competit, l. ult. Quando ex facto tutor. vel curat. Mejer. d. th. 4. in pr. Paulus Christineus decision. curia Belgic. vol. 3. decis. 592. n. 2. quòd Juris saltem interpretatione ipsi contraxisse intelligantur. Tutores verò & Curatores ipsi & suo nomine ex ejusmodi contractibus non' tenentur, vel conveniri possunt. d. l. 26. C. de administrat. tutor. jung. Exc. Dn. Praeses d. th. 24. & Mejer. d. th. 5.

LXXV. Ad exemplum Tutorum & Curatorum, puto VII. contractus quoque illorum, quibus cum necessitate muneris publici rei alienæ administratio conjuncta est, si ex potestate incumbentis officii iidem rectè processerint, ac Principalium nomine facti fuerint, haberi, quasi ab ipsis Principalibus, seu illis, quorum res contrahentes administrârunt, initi fuerint. Confer. Donell. ad d. l. 38. § 17. De V. O. juncto Magn. Dn. Frantzio in comm. ad π. L. 3. t. 4. num. 6. Et hinc, si, qui Universitatem aliquam repræsentant, ritè ipsius nomine contraxerint, ex illo contractu ipsa Universitas erit obligata. nam quod per hos fit, qui Universitatem proximè repræsentant, id ipsa Universitas facere intelligitur. Wames. consil. tom. 2. cons. 368. n. 3. per l. municipales. 14. Ad municipalem. & l. si fuerit. 5. De legat. 3. Add. Magnus Dn. D. Richter / Com. Palat. Cesar. & Codicis in hac Salana P.P. Decision. p. 2. decis. 71. per tot.

LXXVI. VII. Defunctorum quoque contractus (in delictis res aliter se habet. Add. Bachov. d. tr. de Action. disput. 5. th. 4. in exeg.) Heredū respectu, ac si ab ipsis facti essent, habentur. Sustinet enim defuncti personam Heres. Τοῖς ἡμετέροις, inquit Imperator Nov. 88. in præfat. δοκεῖ νόμοις ἐν πῶς εἶναι πρὸς ὅσον τὸ τὸ κληρονομία καὶ τὸ εἰς αὐτὴν περιπέμπου- τὸ πὴν κληρονομήν, i. e. interprete Haloandro, Legibus nostris

una quodammodo persona videtur tam heredis, quam ejus, qui hereditatem ad ipsum transmittit. Hinc ergo fluit, quod ex defuncti contractibus in heredem actio in solidum competat. l. hoc jure. 152. §. ult. De reg. jur. l. ad ea. 157. §. fin. d. t. Exc. Dn. Praeses exerc. 38. th. 5. Jung. Bachov. ad Instit. L. 3. t. 28. text. 4.

LXXVII. Sed num etiam *Successoris in officio* censendus erit *contractus*, quò Prædecessor illiusdem se (& non etiam officium quasi, seu universitatem, à quâ id dependet, vid. Dn. Tabor in deinceps citando c. 4. n. 9.) obligarat? Clariss. Dn. Tabor in tr. de Obligatione successorum in officio c. 4. n. 2. dicit, Dd. ex l. providendum. 23. C. de Decurionibus. L. 10. t. 31. hoc theorema elicere: *Successorem in officio non teneri pro debito antecessoris. & in f. d. n. 2. addit: frons ejus requirenda fuerit, qui tam decantatum axioma temere ausit in dubium vocare.* Sententiæ verò hujusdem rationem n. 3. affert ex l. unic. C. ut nullus ex vicaneis. L. 11. t. 56. quod scilicet grave sit non solum legibus, sed ipsi etiam naturali æquitati contrarium, pro alienis debitis alienos molestari. vid. ipse laudat. Author. d. n. 3. & 4. Secundum hæc ergo negandum erit, successorem in officio prædecessoris, ex contractu suo obligati, personam repræsentare.

LXXVIII. Deniq; *Universitatis* etiam nomine ritè add. Exc. Dn. Praeses exerc. 13. th. 7. & seqq. Dn. Tabor. d. c. 4. num. 5. *factus contractus*, (etsi personæ, quæ eandem jam constituunt, singulæ novæ sint, omnibus fortè, per quas, cum contrahendo obligaretur universitas, eadem constituebatur, mortuis) *Successorum in eadem* intelligitur, h. e. habetur quasi ab iisdem foret initus. Nam universitas per successores in eâ perdurat eadem. *legionem eandem haberi*, ait P. Alfenus Varus (è sutore, scilicet
abjecto instrumento artis clausâq; tabernâ,

ut in

ut in eundem urbanè jocatur Horatius i. *sermon. 3. Satyr. vers. 2*
finali retro undecimò, J. Ctus celeberrimus & Romæ Consul factus)
in l. *proponebatur. 76. De judiciis. ex quâ multi decessissent, quo-*
rum in locum alij subjecti essent: & populum eundem hoc tem-
pore putari, qui ab hinc centum annis fuisset, cum ex illis ne-
mo viveret. jung. l. sicut. 7. §. ult. Quod cujuscung, universitatis
nomine. Hartmannus Hartmanni Libr. practic. observat. tit. 25. ob-
servat. 1.

LXXIX. Circa causam Obligationis conventio-
nalem id hîc notare placet, quòd per eam facta *promis-*
sio de re alteri solvendâ, non de tertii (exceptis ca-
sibus, in quibus jure illiusdem vice fungimur) *sed pro-*
prio promittentis facta concepta esse debeat.
Nam *de se quemq, promittere oportet*, ait J. Ctus Paulus in l.
inter stipulantem. 83. in pr. De V. O. Et si quis alienum fa-
ctum promisit, nec ipse promittens obligatur; §. si quis
alium. 3. Instit. De inutil. stipul. quia non voluit per l. fin. C. si quis
alter vel sibi. l. si genero. 26. C. de jure dor. Add. §. 1. & 2. l. obligatio-
num. 3. II. De O. & A. Ægid. Hortens. ad Instit. L. 3. t. 19. §. & si quis
alium: nec alter etiam, cujus factum est promissum, obli-
gatur; quia conventio ab illius personâ principium non
duxit, per ll. citat. in th. 72: & sic factum alienum planè inu-
tiliter promissum est, l. sicut reus. 65. De sidejuss. & mand. Add.
Diodor. Tulden. in comm. ad Instit. L. 3. t. 20. C. 4. pag. 338.

LXXX. *Proprium* autem factum quis promississe
tunc quoque censetur, (1) *Si pœnæ, vel quantiea res sit,*
promissionem alieni facti promissioni subjecit, arg. §. vice ver-
sa. 21. Instit. De inutil. stipul. Add. Diodor. Tulden. in d. comm. c. 5.
Quo tamen in casu *obligatio saltem conditionalis* est, quæ in
promittente nascitur. nam factum alienum ut condi-
tio negativa tunc se habet, à quâ pœnæ promissæ obli-



gatio pendet. Confer. Don. Enucl. 12. comm. 18. ibiq. Hilliger. in not. lit. G. in m. (2) Si quis se effecturum, ut alter det, aut faciat, sponderit. arg. S. si quis. 3. Instit. d. t. Bachov. ad ejusd. t. text. 1. n. 1. Add. Didac. Covarruvias ad c. quamvis. De pactis. 6. relect. part. 2. §. 5. n. 5. Neg³ tamen necesse est, expressis semper verbis spondentem, se effecturum, ut alter det vel faciat, promississe: sed sæpè ex qualitate factorum & conditione promittentis, id implicitè promissum, colligitur; ceu fit in casibus in l. qui autem. 14. sed etsi. 2. De pecun. constitut. l. inter stipulantem. 83. in pr. De V. O. l. in illâ. 50. l. quotiens. 81. in pr. d. t. l. procurator. 18. Rem ratam haberi. Pac. in analys. Instit. L. 3. t. 19. §. 3. item in stipulatione evictionis, remper omnes habere licere, arg. S. ult. in pr. l. ex emto. 11. (in quibusdam exemplarib. l. emtoem. 12.) De action. emt. Bachov. ad I. L. 3. t. 20. n. 1. pag. 767. col. 1. & 2.

LXXXI. Delicta quomodo cui imputentur, & ipsorum causa quis habeatur, non solùm si mandando aut jubendo, vel re ipsâ auxiliando, sed etiam si consiliis saltem juvando concurrerit, vide apud Excell. Dn. Præsidentem in exerc. 39. tb. 5. Ludov. Molinam in tr. de Just. & Jur. 2. disp. 730. & seq. item 735. Martinum Bonacinam in Theolog. moral. tom. 2. ubi de Restitutione disp. 1. q. 2. punct. 7. n. 6. Johan. de Dicastillo de Iustit. & Iur. L. 2. tr. 2. disp. 4. dub. 4. & 8. Nos, quia causarum Obligationis, Contractuum, Delictorum & quasi-Contractuum atque quasi-Delictorum naturas hîc explicare, propositum non habemus, ideo nostrum non censemus, talia & quæ plura alia de prædictis causis dici possent, hîc pertractare. Nec proinde etiam opus habemus, quinam alicujus, vel aliquarum, & quarumnam istis quatuor de causis, sint incapaces, longâ serie hîc enarrare.

LXXXII. Tantum de Obligationis Subjecto dixisse
fatis

fatis sit. nunc breviter aliqua de SUBJECTO Termini
annectemus. De hoc I. notandum est, quod *numero*
unum esse debeat, ob rationem supra *th. 38.* allatam. Nec
obstat, quod dentur correi credendi. nam in his singulis
una obligatio activa est non numero, sed ratione finis
Obligationis, nimirum solutionis. *jung. Excell. Dn. Praeses*
exerc. 38. th. 23. & supra th. 34 Est etiam, pariter ut Subjectū
Obligationis, unum vel *naturaliter* vel *civiliter*,
jung. th. 35. II. Sciendum, quod in eo requiratur, ut
Justinianei Juris, quatenus ad Obligationem
pertinet, beneficiis fruatur. Est enim hic Termi-
nus facultas legitima, Justinianearum Legum beneficio
competens, ut ex dictis in initio Dissertationis & dicen-
dis infra sub cap. de *Caus. Effic.* constare potest.

LXXXIII. Est III. circa Subjectum hoc ulterius
observandum, quod ipsum quoq;, perinde ut Subjectum
Obligationis, *jung. th. 39.* videatur considerari posse (1) ut
Quod, (2) ut Quo, (3) ratione Accidentis, Sub-
jectum ad receptionem termini adæqua-
tum reddentis. Subjectum Quod est *persona*,
arg. pr. l. 3. de O. & A. in quo J. Ctus obligationis substan-
tiam in eo consistere dicit, ut alium *nobis* obstringat, ad
quid *dandum, faciendum, vel prestandum.* Estque pari
modo, ut de Subjecto Obligat. *supra in th. 40.* tradidimus,
alia *moralis*, alia *naturalis.* Morali etiam perso-
næ Jus crediti sive Terminum obligationis inesse posse
probant *g. 1. l. sicut. 7. Quod cujuscung, univers. nom. & pr. Inst.*
De stipul. servor. De *Ventre* autem quæ supra *in th. 41.* attu-
limus,

limus; hūc etiam suo modo applicari poterunt. *Mortuus* subjectum habile *non est*, cum nec naturaliter nec civiliter sit persona. sed qui vivorum numero est exemptus, quas moriens habebat obligationes activas, eas in hereditate, ejus personam repræsentante, plærasque reliquit. §. *servum. 2. Inst. De hered. instit. jung. Exc. Dn. Præses exerc. 27. tb. 24. exerc. 38. tb. 5. inf. Don. Enucl. 6. comm. 2. ibiq. Hilliger. in not. lit. H.* Ex hoc autem, quod supra *tb. 43.* diximus, personam Debitoris à Creditore distinctam esse debere, simul patet, Creditorem quem esse non posse, nisi idem à *Debitoris personâ separatus* sit. Qui itaq; Creditor defuncti, *Hæres* fit ejusdē, *Creditor*, quatenus est hæres, *permanere nequit.* nec *Filiusfam. patris*, quatenus ejus sub potestate, & ejusdem quasi pars est, nec *Frater fratris* cum ipso sub ejusdem patris potestate existentis, nec *Servus domini* aut *Dominus servi* creditores esse possunt. *Jung. tb. 44. & seqq. usq. ad tb. 51.*

LXXXIV. Subjectum *QUO* est *qualitas quâ quis aptus est ad receptionem solutionis à Debitori facendam, sive ad acquirendum rem solvendam.* *Jung. tb. 51.* Hinc stipulatio, quæ continet rem, ad quam acquirendam Iure ineptus est Creditor: puta, si est res, quæ, licet aliàs ejus commercium sit, in Creditoris tamen commercio non est; inutilis est *l. multum inte, est. 34. De V. O.* Et hæc quoque qualitas potius *juris*, quam facti dicenda est. *Jung. tb. 52.* nam qui liber homo bonâ fide serviebat, etsi ante detectam suam libertatem ipso facto in servili erat conditione, dominusq; videbatur acquirere: tamen patefacto verò ejus statu
sem-

semper acquirendi facultatem habuisse, ac proinde etiam, quod acquirit, modò non provenerit ex ejus operis aut re domini putativi, sibi & non domino putativo acquisivisse censetur, arg. §. 1. *Inst. per quas person. nob. oblig.*

LXXXV. Aptitudine hâc carent I. *Servus.* nam quod per servos acquiritur, id totum fit dominorum, pr. *Inst. Per quas person. nob. oblig. Add. l. nec servus. 41. De peculio. §. 1b. 58.* II. *Monachus.* quicquid enim iste acquirit, id acquirit Monasterio, arg. c. 5. *Nov. 5. junctâ l. Deo nobis. 56. §. hoc etiâ. l. C. de Episcop. & Cler. Add. Conrad. Rittershus. ad Novell. p. 1. c. 6. n. 51. & seqq.* si autem Monacho hæc lege donetur, ne ad alium res perveniat, ne quidem Monasterio tunc acquiretur. arg. cap. 1. *Nov. 117. Gudelin. de jur. noviss. L. 6. C. 10. pag. 349. col. 1. in pr.* III. *Ordo etiam & Monasterium fratrum S. Francisci minorum Capuccinorum,* (de quibus vide *Clement. Exivi è Paradiso. de V. S. ibiq; Gloss. ad verb. Proinde.*) acquirere nequeunt. Sed hoc è *παράδοξον.* nam hic Ordo Justinianéo Juri ignoratur, cum cœperit demùm in initio seculi P. C. N. XIII. ut tradit Dionysius Petavius in *Rationar. tempor. L. 9. C. 1. prope f.* IV. *Heretici κατά τὴν ὀμνινὸν* autem secundum Constitutionem Imp. Frederici II. §. *Gazaros. 5. & §. credentes. 8.* indèque desumptas *Auth. Gazaros. & Auth. Credentes. C. de hereticis.*) acquirendi facultate destituuntur. nam ex causâ legati & donationis acquirere prohibentur *l. que de Samaritis. 18. & l. seq. C. de hereticis. & in eosdem res immobilis, in quâ sancta est Ecclesia, vid. Nov. 131. C. 14.* ut & mancipium Christianum *l. heretic. 20. §. ult. C. d. t.* transferri nequeunt. Sunt præterea alii etiam, qui vel ob conditionem suæ personæ, vel rei, vel certâ ex causâ & titulo, quadantenus acquirendi facultate deficiunt. Sed hos omnes hîc recensere, est præter institutum.

LXXXVI.

LXXXVI. Accidens, per quod subjectum ad receptionem Termini ultimò disponi & quasi adæquatum reddi videtur, putamus dici posse *qualitatem moralem, quâ quis respectu alterius minus habens est, quam ipsum habere, ex causâ contractus, delicti, aut quasi ex causâ contractus vel delicti, Justinianeo Jure justum est.* jung. th. 26. & seqq., ex quibus hujus etiam descriptionis plenior intellectus percipi poterit.

LXXXVII. Ex allatâ descriptione patet, omnem Creditorem prædictam Qualitatem ex causâ vel *Contractus*, vel *Delicti*, vel *quasi-Contractus*, vel *quasi Delicti* nancisci. Ad quas quatuor causas, ut ad jam notatum effectum proficiant, porrò *regulariter* requiritur I. ut *ab ipso Creditore eadem causam & principium trahant.* Si enim *tertius* cum quopiam contraxerit, si tertio per delictum nocitum sit, si in rebus negotiisve tertii quid gestum, quod habeatur, ac si contractus esset, ille contractus, delictum, & quasi-Contractus *mibi* obligationem *non* pariet, cum per extraneam personam nihil nobis acquiri posse, certum sit ex §. *ex his. 5. Inst. Per quas person. nob. acquir. l. si ita. 126. §. Chrysgonus. 2. vers. respondit. De V. O. l. fundus ille. 64. De contrab. emt. l. quo tutela. 73. §. ult. De reg. jur. l. multum interest. 6. C. si quis alteri vel sibi sub alt. nom. l. si genero. 26. C. de jure dot. etiam si nostrum in nomen contractus sit conceptus dd. l. C. si quis alteri vel sibi. l. 64. De contrab. emt. l. quæcunq. 11. De O. & A.*

LXXXVIII. *¶* Si causa obligationis *contractus* esse debeat,

debeat, requiritur etiam, ut *in nomen contrahentis*
& non tertii solum sit conceptus. Nam quatenus
quis alieno nomine contrahit, eatenus sibi obligationem
acquisitam noluisse intelligitur, d. l. 6. C. si quis alteri vel sibi.
alteri autem acquisivisse non potuit ad. l. 6. C. si quis sibi. & l.
fundus ille. 64. De contrab. emt. quia, quæ ex nostro con-
tractu originem trahunt, nisi ex nostrâ personâ ob-
ligationis initium sumant, inanem actum nostrum ef-
ficiunt. d. l. 11. De O. & A. Si vero quis sibi & alteri stipu-
latus fuerit, tunc Solutio quidem Adjecto quoque fieri
poterit, ipsa tamen Obligatio stipulatori tantum acqui-
retur. §. si quis alii. 4. l. De inutil. stipul. Attendendum au-
tem porrò, an, qui sic stipulatus, Conjunctivè, an verò
Disjunctivè sit stipulatus. Si Conjunctivè; rursus conside-
radum, an sibi e. gr. decem & alteri decem, an verò sibi & al-
teri decem stipulatus sit. Priori casu stipulatori integra
decem, arg. l. si stipulatio ista. 38. §. cum, qui dicat. 19. De V. O. po-
steriori sola pars dimidia, nempe in dato casu 5., debe-
buntur. d. §. 4. Instit. Si Disjunctivè, e. g. sibi aut Titio de-
cem, vel, sibi decem, aut Titio decem, tunc stipulanti iti-
dè integra decem debebuntur. vid. Exc. Dn. Praeses exerc. 38.
th. 17. Donell. Enucl. 12. comm. 18. ibiq; Hillig. in not. lit. F. Cen-
sendus autem suo nomine contraxisse non solum, qui e. g.
sibi, sed & qui impersonaliter stipulatus est, l. stipulatio ista.
38. §. sicut autem. 5. inf. De V. O. ibiq; Donell. ad §. 17. v. 18. Item
quamvis quis, alteri quid solvi, stipulatus sit, si tamen sti-
pulantis intersit, promissum adimpleri, etiam tunc suo
nomine stipulans contraxisse intelligitur. vid. §. 20. Instit.
De inutil. stipul. d. l. 38. §. si stipuler alii. 20. & seqq. 21. 23. 24. De
V. O. Giphon. ad d. l. 11. De O. & A. n. 25. Bacho. ad Tr. v. 2. disp.
27. th. 2. lit. F. Donell. ad d. §. 17. n. 18. Francisc. Duaren. ad d. l. 38.
§. alteri stipulari. 17.

LXXXIX. A Creditoris autem personam Contractus tunc quoque principium traxisse in Jure intelligitur, cum per eundem Filiusfam. patri; *Iung. th. 45. & seqq. Bachov. ad Instit. ad t. De stipul. serv. text. 1. in f. Job. Faber & Hortensius ad §. factum. d. t. I. Servus domino; Iung. th. 50. & add. Bachov. & Hortens. cit. loc. & Fr. Duaren. ad d. l. 38. §. alteri stipulari. verb. Præterquam si servus domino. Tutor pupillo; Iung. Mej. in C. I. A. L. 26. t. 9. th. 2. & 3. Curator minori vel alii, quem sub curam habet; Defunctus hæredi; Iung. thes. 76. Bachov. de Action. disp. 5. thes. 5. in pr. exeges. Mej. in C. I. A. L. 47. t. 1. th. 7. n. 1. Nicol. Noalis in tr. de Transmissionib. casu 28. n. 123. & seqq. 155. 160. & casu 23. n. 9. Aegid. Hortens. ad §. non autem. 1. Inst. de perpet. & tempor. act. & ad §. pœnales. eod. tit. Procurator militi; vid. l. si pecuniam. 26. De reb. credit. ibiq. Vivianus in casu, Accursius in gloss. & Petr. Loriotus in comm. ad d. tit. n. 2. 3. 4. Magistratus subdito; Judex personæ in judicio agentis, Conf. Gædd. tr. de contrah. & comm. stip. c. 10. n. 34. & Minister, (quod pertinere videtur procurator in casu, si præsentem domino contrahit. vid. l. si procurator. 79. De V. O. Paul. Bussius in subtil. jur. L. 2. C. 9. n. 2. Pac. in comm. ad L. 4. C. ubi ad tit. Per quas person. nob. acqu. l. 1. n. 52. Giphani. ad l. 11. De O. & A. n. 19. & fortè referri etiam poterunt, Syndici, Actores & similes administratores) principali obligationem acquirunt. vid. Donell. ad d. l. 38. §. 17. De V. O. num. 21. 22. 34. 50. & nm. inter jam nominatos medius. Gudelin. in Syntagm. regul. jur. c. 13. n. 41. Wesenbec. in paratit. L. 3. t. 4. n. 8. Rationibus & legibus idem jam confirmaremus, simulque, quibus in casibus ex contractibus Filiifam., Servi, Tutoris, &c. patri, domino, pupillo, &c. obligatio acquireretur, ostenderemus, si non ad cætera, quæ adhuc tractanda supersunt, properandum esset, nec Dissertatio jam tum plures, quàm eidem primum destinaramus, paginas complevisset.*

XC. Ad regulas antè propositas in th. 87. & seq. Exceptio.

ceptiones notamus sequentes. I. Cum quis *nomen* in so-
 lutum *l. ult. C. quando fiscus vel privatus.* vel ex alio justo ti-
 tulo accepit. eo namque in casu idem in tertii personâ
 constitutam obligationem acquisivit, etsi cum eadem
 ipse non contraxerit. *Add. Bachov. ad πρω]. Π. t. De procura-*
tor. c. 1. n. 6. II. Si *pactum*, quò tertio cavemus, *traditioni*
rei, quæ *ad eundem* pertinet, adjecimus, idemque traditæ
rei restitutionem, vel in specie, *l. si res tuas. 8. C. ad exhibendum,*
 vel in genere, *l. si ita. 126. § Chrysofonus. 2. vers. Planè si liber*
homo. De V. O. l. si absentis. 4. C. si certum petat. faciendam, con-
tineat. III. Si *nostræ rei traditioni pactum* de eadem *tertio*
reddendâ annexerimus in *casibus expressis* (1) in *l. 3. C. de do-*
nat. que sub mod. (2) in l. Gajus. 45. Π. solut. matrimon. l. 7. C. de
pactis convent. tam super dot. quam donat. Jung. Bachov. ad Instit.
L. 3. t. 20. text. 1. n. 2. pag. 769. col. 2. in pr. (3) in l. certi condi-
ctio. 9. §. si nummos. 8. De reb. credit. Add. Fr. Hotoman. ad l. 2. C.
per quas person. Jul. Pac. in comm. ad L. 4. C. ubi ad tit. Si certum
petat. l. 4. n. 9. (4) in l. si per ignorantiam. 6. C. de condict. indeb.
Add. Pac. in d. comment. ubi ad d. t. De condict. indeb. l. 6. num. 11.
 IV. Si Creditor *pignus vendiderit cum pacto*, ut, si *solverit*
Debitor pecuniâ pretii emtori, liceret ei recipere rem suam
l. si cum. 13. De pignor. act. Vasq. illustr. controvers. L. 6. C. 58. n. 17.
Confer. Donell. ad l. 38. §. 17. n. 69. De V. O. V. Si pater suo filio
 filiave post *mortem suam* dari stipulatus fuerit. *l. quodcungq.*
45. §. si quis ita. 2. De V. O. Bachov. ad Tr. v. 2. disp. 27. th. 2. lit. E.
Et ad Instit. L. 3. t. 20. text. 1. n. 2. pag. 769. col. 1. in m. modo filius
 etiam filiave, cum pater stipularetur, in ejusdem potesta-
 te fuerint. *arg. l. si genero. 27. C. de jur. dot. l. 4. C. de pact. con-*
vent. Jason de Mayno ad d. l. quodcungq. 45. §. sicuti. De V. O. n. 2.
 VI. Si *procurator è re domini* stipuletur. *l. quod procurator.*
68. De procurator. Jung. Bachov. tr. de Action. disp. 8. th. 11. in f. exeg.
 VII. Si, nisi ex *Institoris*, *l. 1. in f. junctâ l. seq. De institor. act.*

Magistri navis, vid. l. 1. §. sed ex contrario. 18. inf. de Exerc. act.
Bachov. ad l. tit. Quod cum eo, qui in alien. textu 2. n. 2. aut Pro-
curatoris, arg. l. in omnibus Prætoris. 5. De stipul. Prætor. junctis
d. l. inf. & l. seq. De instit. act. Gudel. de jur. nov. L. 3. C. II. Paul.
Bus. subtil. jur. L. 3. C. 9. n. 2. Add. Giph. in lect. Altorph. ubi ad
i. II. de Procurator. l. 72. n. 19. & seqq. in ipsius tamen, procu-
ratoris sc., personam concepto, (nam si in domini personam
verba obligativa sunt concepta, omnino inutilis est contractus, arg. ll.
in th. 88. citat. Add. Giph. ad d. l. II. De O. & A. n. 19. Donell. ad
d. §. 17. n. 62. Pac. ad l. 1. num. 57. C. per quas person. nob. acquir.)
contractu, Preponentibus aut Domino concedatur actio,
eisdem res aliter servari non possit: per dd. ll. & Dd. quo
de Prætor cognoscat. d. l. in omnibus Prætoris. 5. De stipul. Præ-
tor. l. damni infecti. 18. §. ult. De damno infecto. Pac. ad d. l. 1. C.
per quas person. n. 55. VIII. Secundum Doctorum senten-
tiam excipiendi ^{ti} sunt contractus, quibus Ecclesia,
pauperibus & piis locis quid promitti efficitur: qua de re
vide sis Vasquium illustr. controvers. L. 6. C. 58. n. 19. Goedd.
d. tr. 10. conclus. 1. n. 32. Mej. in C. I. A. L. 45. t. 1. th. 32. inf.

XCI. Explicatâ Obligatione quoad Genus & Sub-
jectum, pergimus ad tractationem CAUSÆ EFFI-
CIENTIS. Prænotandum autem, quod Causa Obli-
gationis Efficiens sit eadem, quæ ejusdem Fundamentum
& Terminum efficit. Relatio enim, ut dicitur in th. 6. Dispu-
tat. Metaphys. de Relatione Præside Cl. Dn. Stablio anno c1o 1oc XXVII.
hic loci habita, non habet causam efficientem distinctam ab ef-
ficiente fundamenti & termini. neq; hoc mirum est, cum non
sit ens reale à fundamento & termino reipsâ distinctum. —
Habet nihilominus relatio causam efficientem. quæ enim effi-
ciunt fundamentum & terminum, v. gr. duo alba, ab iis eti-
am relatio habet suum esse. Confer. etiam Gilbert. Jacobus In-
stit. Metaphys. L. 6. C. 15. Hoc prænotato jam dicimus, quod
Fun-

Fundamentum & Terminum Obligationis per modum
Causæ Efficientis producat *Potestas Civilis summa*,
quia est causa efficiens operantis per modum instrumen-
ti in uno potentiam passivam ad exactionem rei solven-
dæ; quæ est Obligationis Fundamentum: *jung. thes. 24. &*
seqq. & in altero facultatem exigendi ab eodem alicujus
rei solutionem; quæ est Obligationis Terminus. *jung. th.*
30. & seqq. Nam prædictas qualitates instrumenti per mo-
dum Jus sive Leges operantur, & inde Obligatio *in pr. Inst.*
De Obligat. Juris vinculum dicitur. Juris autem sic ope-
rantis efficiens, quæ scilicet virtute suâ eminentiori illud
ad hunc elevet effectum, est Potestas civilis summa. *Add.*
pr. Procem. Instit. Henning. Arnise. in doctrinâ polit. L. 1. C. 1. con-
text. jam nunc. & Dn. D. Balthasar Meisner. in dissert. de LL. libr. 4.
f. 1. q. 10. context. Vis legis. pag. 300. in pr.

XCII. Est verò Potestas Civilis summa causa obli-
gationis efficiens *humana prima*. Ut enim ipsa summa
est, & immediatè à DEO, ut causâ principali, dependens,
ita vim quoque ligandi soli DEO principaliter fert acce-
ptam. Quod autem Potestas civilis summa causam sui
principalem efficientem & conservatorem habeat DEUM
T. O. T. M., id manifestissimè nos docent Sacræ literæ,
vid. Daniel. II 37 & 21. Psalm. XXCII. 6. Proverbior. VIII. 15. & seq.
Sapientie VI. 4. & seq. Syrac. X. 14. D. Pauli Epist. ad Rom. XIII. 1. 2.
& 4. Add. etiam Confessio Augustana art. XVI. & B. D. Joh. Gerhard.
in Scholâ Pietatis L. 4. C. 7. & Imper. Justinianus in præfationi-
bus Novell. 6 & 72. Ab hac Potestate, quicquid inferiores
Potestates & Magistratus habent obligandi facultatis, id
omne dependet & per concessionem derivatum est.
Obligatio, ait Joh. Seldenus (qui Hug. Grotio & Hugoni
de Roy audit vir doctissimus) in lib. 3. de jure Natur. & Gent.
juxta Disciplin. Ebræor. c. 8. pag. 107. quâ obtemperandum est

H 3

decre-

decretis aut senatus-consultis ex permissione, decurionibus seu corporis alicujus sociis, invicem hactenus paribus, à Principe indultâ, latis, ex ipsius Principis autoritate ac imperio pendet, qui dum permittit pro eorum libitu decreta legesq; tum ferre tum rescindere, æquè etiam in ipsâ permissione vult sic latis leges, usq; dum ex eadem similiter permissione rescindantur, observari, id est, obligationem inducere.

XCIII. Hac cum civili potestate in producendâ obligatione, justâ scilicet ac rectâ, concurrere etiam videtur Potestas ἀπλῶς prima & Autor omnis legis salutaris DEUS Rex cœli & terræ omnipotens. Confer. Dominicus Soto de Iust. & Iur. L. 4. q. 6. art. 2. post m. Hoc enim, nisi fieret, Debitor Creditori debiti solutionem malitiosè denegans contra septimum Divini Decalogi præceptum non peccaret: quod tamen hoc in casu violari nostri Theologi, Vid. supra citat. D. Gerhard. L. 5. C. 10. pag. 1182. μανασῆτης Dn. D. Henric. Höpfnerus in Isagog. ad salutar. usum Cœn. Dom. tr. Practic. J. I. art. 1. c. 8. n. 26. & seq. & Moralistæ, Paul. Layman. in Theol. mor. L. 3. tr. 2. C. 2. Dominicus Soto de Iust. & Iur. L. 4. q. 6. art. 2. Ludov. Molina de Iust. & Iur. tr. 2. disp. 680. n. 2. & disp. 716. n. 3. Mart. Bonacina in Theol. mor. tom. 2. ubi de Restitut. disp. 1. q. 1. punct. 2. n. 4. Ioh. de Dicastillo de Iust. & Iur. L. 2. tr. 2. disp. 1. dub. 5. n. 55. & 59. Iohan. Medina in Cod. de Restit. q. 2. & plures alii, docent. Idemque etiam agnovisse videtur Ethnicus scriptor Demosthenes, quando, referente J. Cto Marciano in l. 2. De LL. legem (per quam Potestas civilis vim obligandi potissimum exercet) εὐρημα καὶ δῶ-εγν Ἰεῦ nominat. Add. Exc. Dn. Præses in annot. ad ll. Π. ubi ad l. 2. De LL. Iohan. Selden. in libro supra citat. c. 7. pag. 93. & seqq. & c. 8. pag. 106. & seqq.

XCIV. Principium QUO Potestas civilis summa, Obligationem operatur constitui poterit aliud internum,

num, aliud externum. Internum dici potest illud, quod est in animâ Legislatoris, estque hoc *Potestatis civilis summa voluntas, quâ, secundum Juris Justinianei, ad obligationem spectantis & sufficienter promulgati, normam plus a quo habentem, subditis alterius Debitorem constituit.* Externum dici potest *Jus Justinianicum, voluntate prædicta Potestatis vobis dicitur animatum, extra animum Legislatoris siue in signis externis subditis intelligibilibus siue in memoriâ subditorum existens.* quod antea in *th. 91.* vocavimus etiam *Instrumentum*, quo mediante nostra obligatio producat. Sed quia urgentes ob causas abrumpenda est tractatio Causæ Efficientis, & properandum ad Dissertationis finem, ideo ad ultimam partem capitis tertii *jung. rhes. 3.* jam accurremus, eam, quâ commodè fieri poterit brevitate explicaturi.

XCV. FINIS Obligationis est *alicujus rei solutio.* nam Obligatio vinculum Juris est, quo necessitate adstringimur *alicujus rei solvendæ,* ut habetur in *pr. Inst. De Obligation.* & Obligationum substantia in eo consistit, ut alium nobis adstringat, *ad dandum aliquid, vel faciendum, vel præstandum,* ut dicitur in *l. 3. De O. & A:* ubi, quod Imperator in *d. pr. Inst.* uno verbo *solvendi* significavit, id J. Ctus Paulus tribus verbis, *dare, facere, præstare,* singulis distinctos solutionis modos exprimentibus, elocutus est. Et quidem verbo *præstare* putamus J. Ctum

in d.

in d. l. 3 solutionē, quæ fit aliō, quàm quod obligatione erat expressū, quodq; primūm debebatur, innuisse. Hoc modo e. gr. Depositarius cum damno deponentis neglectam custodiam *prestare*, & venditor, qui dolo desiit rem venditam tradere posse, quāti interest emtoris, *prestare*, necesse habent. Nam utroq; hoc in casu aliud solvitur, quam obligatione erat expressum & primūm debebatur: Cū in primo casu obligatione expressè promissa esset rei depositæ custodia, & hæc primūm deberetur, in altero casu obligatio expressè rem venditam contineret, hujusque traditionem primūm postularet.

XCVI Hujus verò *Solutionis alicujus rei*, si Obligatione intendi debeat, *requisitum est*, I. ut **Debitori** factu sit *possibilis*. *Impossibile enim nulla est Obligatio*, ait Celsus in l. 185. *De reg. jur. Add. Ulpianus in l. verum est. 31. d. 1.* Nec per naturam possibile est, ut impossibile, quæ existimantur impossibilia, voluntas sit efficax. *Add. l. non solum. 31. De O & A. Cl. Dn. Stahl. in reg. philosoph. t. 19. reg. 6. n. 1. 2. 3. Gratianus à Monte forti Fr. ordin. minor. Capuc. in axiom. philosoph. axiome: Voluntas est etiam impossibile.*

XCVII. Possibile autem non est (I) Dare rem *Sacram*, per §. *sacra. 8. Instit. De rer. divis. §. 2. juncto §. preced. Inst. De inut. stip. vel Religiosam, t. inter stipulantem. 83. De V. O. §. sacra. 5. d. §. 2. I. De inut. stipul. Add. Bernhard. Schotan in exam. jurid. t. De rer. divis. q. 23. 24. 25. aut Sanctam, arg. §. nullius. Inst. De rer. divis. Gædd. tr. de contrah. & commit. stipul. c. 6. conclus. 4. n. 42*

Sunt ~~res~~ res sacrae & religiosae Divini, sanctae verò quodammodo Divini, juris. *pr. l. 1. De divis. rer. & qual. ac proinde ad privatorum utilitatem adhiberi nequeunt.*

XCVIII. Possunt tamen res *Sacrae* alienari, ac proinde *Obligationis finis objectivus esse*, (I) si necessitas sive
aris

æris alieni, quô debitorum Ecclesia gravata est, sive famis,
 sive redimendorum captivorum id exigat. *vid. l. sancimus.*
21. C. de SS. Eccl. Nov. 46. per tot. Nov. 67. c. 4. & Auth. Præterea.
C. d. t. Nec te moveat regula: inquit Diodorus Tuldenus
in Comm. ad Instit. L. 2. t. 1. C. 2. Semel DEO dedicatum non
est ulterius ad usus humanos transferendum, c. 51. de Reg.
Jur. in 6. Quia Redemptio captivorum & Sustentatio pau-
perum non tam pertinent ad usum humanum, quam divi-
num. Sic enim Augustinus lib. 10. de civit. DEI c. 1. scribit,
quanquam pietas DEI cultus sit: tamen hoc nomen etiam
operibus misericordie tribui: quia ista vel præ sacrificiis sibi
placere, DEUS testatur. Hactenus Tuldenus. Addat. c.
Aurum. 70. 12. q. 2. (quod desumpsit Gratianus, teste Conrad. Ritters-
busio ad Novell. p. 1. c. 8. n. 26. ex S. Ambrosii L. 2. offici. c. 28.) & Auf-
föhrliches Bedenken/wie es umb die Kirchen Güter geschaffen/ und
wie mit ihnen umbgegangen werden soll. n. 12. & seqq. it. n. 23 apud
Hortleder. vol. 2. de Bello Germ. L. 5. c. 8. Confer. quoq; Paul. Busius in
comm. ad II. ubi ad l. sicut 7. n. 4. Cyprian. Regner. in disp. ad Instit.
ult. tb. 10. Hugo Grot. de Iur. B. & P. L. 3. C. 21. n. 23. Sunt etiam
 (2) sacra, religiosa & sancta res, quatenus universitas, cui
 accedunt, alienabilis est, cum hac, & sic per accidens, ut
 ait Magnif. Dn. Frantzkius ad II. L. 18. t. 1. n. 130. alienabiles.
vid. l. hanc legem 22. cum duab. ll. seqq. De contrab. emt. l. quadam.
62. De acquir. rer. dom. Gædd. ad l. 5. De V. S. n. 14 & seq. Ludovic.
Molina de Iust. & Iur. tr. 2. disp. 341. n. 22. Mart. Bonacina in Theol.
mor. tom. 3. ubi de Restit. disp. 3. q. 1. punct. 3. n. 1.

XCIX. Res autem Ecclesiastica, jung. Vult. I. Iurisprud.
Rom. 65. n. 15. quas quidam dicunt quasi-sacras, Gudelin. de
jur. noviss. L. 6. C. 13. cum propriè Sacris ejusdem omninò
 conditionis non sunt: sed vel ob solam Ecclesiæ aut alius
 loci religiosi utilitatem, servatâ tamen certâ solennitate,
 in obligationem deduci possunt; *vid. l. privilegia 17. §. 1. C.*
de SS. Eccles. N. 126. N. 7. c. 2. N. 119. c. 10. Dn. Gregor. Biccus

I

rer.

rer. quotidian. f. 2. tb. 17. Diodor. Tulden. in breviar. Cod. t. De SS. Ecclesiis n. 2. & Cujac. ad Nov. 7. Gudelin. d. L. 6. c. 14. Bernhard. Schotan. in exam. juridic. t. De rer. divis. q. 20. 21. 22. modò isti, in quos alienantur, non sint ipsi rerum illarum administratores, aut horum cognati, vel per nuptias his junctæ personæ. vid. d. N. 120. c. 5. §. 1. & c. 7. §. 1. ibiq; Cujac. & Auth. Quibuscunq; C. de SS. Eccles. Sed num inter res propriè & reipsa Ecclesiasticas referendæ etiam sunt Præbendæ, considerata secundum conditionem, quam habent apud ad dictos Confessione Augustanæ? Negandum nobis hoc videtur cum Theologis Wittenbergensibus in Censurâ: Vom Stande der Thumbherrn/ &c. (quæ habetur. ap. Dedekennum in Thesaur. Consilior. vol. 1. p. 3. lib. 1. in append. sect. 2. n. 4. pag. 967. & seqq.) §. Wann nun obgesagter massen/ &c. in m. & Dn. Jacobo Lampadio in tr. de Rep. Romano-Germ. p. 3. c. 9. §. fin. Addantur quoque censuræ aliorum Teologor. & J. Consultorum, quæ habentur apud Dedekenn. d. loc. num. 5. 6. 7. 8. & Magnificus Dn. Georg-Adam Brunner/ Patruus noster venerandus in tr. de Collat. bonor. c. 4. n. 338. & seqq.

C. (II) Dari ac proinde in obligationem etiam deduci nequeunt res (1) *Communes*, (2) *Publicæ jure Gentium*, per §. 1. 2. 4. 5. I. *De rer. divis. Dn. Frantzk. ad Π. L. 18. t. 1. n. 136.* (3) quas populus aliquis vel universitas ad *usum publicum perpetuò destinatas* habet, l. *sed Celsus filius. 6. in pr. De contrab. emt. l. inter stipulantem. 83. De V. O. Add. Gædd. ad l. 5. de V. S. n. 18.* quæ tamen ab ipsa universitate, quæ vel non habet superiorem, vel licet eum habeat, statuta tamen condere potest, alienari possunt. per l. *prohibere. 3. §. planè 4. Quod vi aut clam. Gl. in l. 2. §. viam. Ne quid in loco publ. Pac. tr. de contrab. emt. c. 7. §. 139. Publica bona, i. e. quæ sunt in patrimonio populi. Vid. Gædd. ad l. 17. De V. S. n. 5. 6. & 19. alienabi-*

nabilia sunt, ut tamen adhibeantur solennitates requi-
 sitæ in *l. ult. C. de vendend. reb. cit. it. L. 11. t. 31. Add. Paul. Chri-*
stinæus decis. Belg. vol. 5. decis. 80. per tot. (4) Liber homo, l. li-
ber homo. 103. De V. O. jung. th. 53. Exceptis duobus casibus,
 1. cum quis major XX. annis ad pretium participandum
l. & servorum. 5. §. servi. 1. De statu homin. l. homo liber. 21. d. t. l.
 2. Quibus ad libert. proclam. bonæ fidei emtori *l. liberis. 7. §. se-*
quis cliens. 2. De liber. caus. se vendi passus fuerit. Accursius ad §.
servi autem. verb. Major. & verb. Venundari. Instit. De iur. person.
 2. Si pater filium filiãve fam. sanguinolentos i. e. recens
 natos (quos Juvenalis in *Satyr. 7. vers. à finali 47. vocat* —
 — *adhuc à matre rubentes*) necessitate urgente vi-
 ctus causa vendiderit. *l. ult. C. de patrib. qui filias distrax. Add.*
Tiraquell. de retract. gentil. §. 26. n. 16. Covarruv. 3. resolut. 14. n. 4.
Pac. d. tr. c. 9. §. 131. Magnif. Dn. Frantzk. ad Π. L. 18. t. 1. n. 126.
Gotbofr. in not. ad d. l. ult. lit. c. Mej. in C. l. A. L. 18. t. 1. th. 74. n. 1.
 Facit etiam Scholion, quod habetur ad *l. 26. tit. 1. L. XIX. Basilicor.*
 (quem librum, quia deficiebat, ex *Synopsi Basilicor. quantum potuit,*
supplevit Carol. Annibal Fabrotus) verba, *Quod nunc valet venditus:*
Ἄντι ὄσ' ἔστιν ἄξιον ἀνξήθην καὶ μείζον γενόμενον τὸ πρῶτον.
 i. e. *Quanti nunc estimabitur Major factus, qui distractus est.* Lex
 autem, quæ Patri hanc liberorum vendendorum pote-
 statem concedit, ratione non caret. Nam Philosophus
 etiam *9. Ethic. 2.* scribit in annonæ caritate filium patri
 potius quam sibi subvenire debere. *Δόξετε, inquit, τρε-*
φῆς μὲν γονεῦσι δεῖν μάλις ἐπαρκεῖν, ὡς ὀφείλοντας, καὶ πῆς
αἰτιοῖς τὸ εἶναι, κάλλιον ἢ ἑαυτοῖς εἰς ταῦτ' ἐπαρκεῖν, i. e. in-
 terprete Dion. Lambino: *Videntur filii parentibus maxi-*
mè res ad victum necessarias suppeditare debere, tanquam
debitores: pulchriusq; est iis, per quos sumus, quam nobis
ipsis in his rebus opitulari. Add. etiam *Sa. ris è Literis cap. XXI.*
Exodi. vers. 7. Nehem. V. 2. & Ludov. Molin. in d. tr. 2. disp. 34. n. 21.
& seqq. it. n. 28. & seq. An inter exceptiones hinc etiam no-
 tan-

tandus erit casus, quo Patronus propter ingratitude[m] Libertum in servitute[m] revocat? Non puto. *Jung. ib. 54.*

CI. (5) Obligationis Objectum etiam non sunt *Sacerdotium, Magistratus & alia officia publica.* *Nov. 6. c. 1. §. 9. Nov. 8. c. 7. Magn. Dn. Frantz. d. t. n. 136. Mozzus de Contract. ubi de Emt. rubr. De reb. quæ em. n. 34. Duaren. in tr. de Eccles. minist. & benefic. L. 6. c. 3. Confer. Molina d. tr. 2. disp. 91. Bonacina in Theol. moral. tom. 2. ubi de Restit. D. 3. q. 1. punct. 3. n. 10. Joh. de Dicastillo de Iust. & Iur. L. 2. tr. 2. D. 8. dub. 5. n. 113. & cum primis. Dominic. Soto de I. & I. L. 3. q. 6. art. 4. in m. cum horum sustinendorum fanis lucrum & commodum pecuniarium esse non debeat. Excipienda sunt Militiæ. vid. Magnificus Dn. Georg-Adamus Brunner / Patruus noster pro Parente et atq[ue] summè venerandus in tr. de Collat. honor. c. 4. n. 509. & seqq. & Cujac. consult. 38. (6) Res nostra, quæ tales *l. nemo. 82. De V. O. l. rei sue. 16. De contrah. emt. l. qui rem. 20. C. de locat. & conduct. l. neq[ue] pignus. 45. De reg. jur. A fure tamen rectè stipulor, rem meam mihi dari, modò conditionis furtivæ intuitu ita stipuler: puta, quod te mihi ex ea conditione dare facere oportet, vel rem meam, quam mihi furto subripuisti, dare spondes? l. scire debemus. 29. §. 1. De V. O. ubi add. Giph. n. 28. & seq. (7) Hostium res, *l. liber homo. 103. De V. O. si scilicet nostra nec sit nec fuerit, l. ult. De act. emt. l. item Labeo 22. §. ult. & l. seq. Famil. hercisc. junctâ l. id quod. 9. De legat. 1. nec ejus cum istis nobis sit commercium. l. ab omnibus. 104. §. etiam rem. 2. De legat. 1. Add. Donell. ad d. l. 103. n. 3. Iul. Pac. tr. de emt. vendit. c. 8. §. 115. Hillig. ad Don. En. L. 8. C. 11. lit. F. & L. 9. C. 11. lit. Aa.***

CII. (8) Res litigiosa etiam secundum quid habile obligationis objectum non est. *Vid. l. 2. C. de litigiosis. l. 1. §. 1. Π. eod. t. Magnif. Dn. Frantz. 1. resolut. 11. n. 61. cum seqq. & n. 74. cum seqq. Excell. Dn. D. Iohannes Thoma, Iurium in hac Ienensi P. P. in discursib. Iurid. De prohibet. litigiosi alien. & De concess. litig.*

sig. alien. Paul. Christina. in decis. Belg. vol. 4. decis. 175. Sunt
præterea alia plura, quæ vel omninò vel quodammodò
in obligationem deduci nequeunt; Ut Venenum malum,
Panes civiles, Eunuchi Romane gentis homines, fundus do-
talis aut donatus propter nuptias, res voluntate testatoris,
aut pacto alienari prohibita, tigna adibus juncta, purpura,
res furtiva, &c. De quibus singulis speciatim hîc agere
non est propositum. Consuli tamen de iisdem poterunt
Goeddæus ad l. venenum. 236. De V. S. num. 2. Magnific. Dn.
Frantzkius ad Π. L. 18. t. 1. n. 160. 178. & seqq. usq. ad n. 197. Mejer.
in C. I. A. L. 18. t. 1. thes. 82. 79. 95. Mozzus d. tr. de contract. sub
rubr. De reb. quæ emi & vendi. Goedd. in tr. de contrab. & committ.
stipul. c. 6. n. III. Bachovius ad Instit. L. 3. t. 20. ad pr. n. 3. pag. 764.
col. 2. in m. Henricus Salmuth in not. ad Pancirolli libr. Rer.
memorabil. 1. ubi de Purpurâ, pag. 13. Paul. Christinaus decis.
Belg. vol. 3. dec. 133. n. 25. & seqq. decis. 134. n. 10. & seqq. & vol. 4. de-
cis. 40. n. 4. decis. 41. 42. 43. 44. 48. n. 3. & seqq. Add quoq. Con-
rad. Summenbart de Calw. in oper. septipart. de Contract. pro foro
conscient. tr. 3. q. 53. Bonacin. d. punct. 2. n. 11. & seqq. Molin. d. disp.
340. n. 22. & 29.

CIII. (III) Dationis & sic eatenus Obligationis
 etiam objectum non sunt Res quæ non sunt in rerum na-
 turâ; ut hippocentaurus, §. 1. Inst. De inutil. stipul. homo
 mortuus, l. si homo. 69. De V. O. Add. Goedd. d. c. 6. n. 28. & seqq.
 it. n. 32. & seqq. ædes combustæ; quascirca tamen nota-
 bilem distinctionem proponit J. Ctus Paulus in l. domum
 emi. 57. De contrab. emt. Jung. Colleg. Iur. Argentor. L. 18. t. 1. th. 72.
 & Dn. Frantzki. d. t. 1. n. 105. & seqq. Ad hoc autem genus non
 pertinet Res (1) quæ quasi aleâ emitur; ut captus pisci-
 um vel avium vel missilium. vid. l. nec emtio. 8. §. 1. De con-
 trab. emt. Magnif. Dn. Frantzki. ad Π. L. 18. t. 1. n. 116. & 118. Har-
 precht. Dissp. ad Instit. p. 2. disp. 9. assert. 5. lit. a. (2) quæ, licet re-
 verâ

verà in rerum naturà non sit, intellectu tamē Juris habe-
tur, ac si esset, & proinde actione quoq; rectè peti potest.
*Vid. l. inter stipulantem. 83. §. pen. De V. O. junctà l. promissor. 21. in
pr. De pec. constit. & l. si servum. 91. §. ult. De V. O. Bachov. ad Inst.
L. 3. t. 20. ad pr. in pr. comment. Taco à Glins tr. de morà p. 2. aph. 1.
Res quoque, quæ speratur, etsi in rerum naturà non dum
sit actu, in obligationem nihilominus deduci potest.
Est tamen Obligatio tunc non pura, sed conditionalis.
*Vid. d. l. 8. §. 1. De contrab. emt. Dn. Frantzke d. loc. num. 117. Har-
precht. d. l. Pac. d. tract. de emt. c. 9. §. 127. Mejer. in C. 1. A. d. tit.
1. thes. 37.**

CIV. (IV) Præstitum impossibile est factum quod
vel Natura impedit; *l. si stipulor. 35. De V. O. e. gr. digito
cælum attingere: Add. Gædd. d. tr. c. 8. n. 176. & seqq. vel
Facto, moraliter nobis inevitabili, prohibemur facere; ;
e. gr. si tabellarius nesciens urbem, in quâ moratur, ho-
ste cinctam, promittat eodem tempore literas inde ad
loca dissita perferre, factum, quod promisit, ipsi nec na-
turà nec legibus sed solo facto hostium, custodiâ urbem
claudentium, impossibile redditum est: Confer. Gædd. d.
tr. c. 8. n. 185. & seqq. vel Legibus aut Moribus vetitum vel
turpe habetur, sive respectu præstantis & cui præstatur,
sive ejus solùm, cui præstatur. Si autem solius dantis si-
ve facientis ex parte turpitudine aliqua concurrat, quæ ta-
men respectu ipsius dationis aut facti sit extrinseca, tunc
Obligatio per illam non vitatur. *arg. l. idem si. 4. §. quotiens.
2. De condit. ob turp. caus. Add. Pacius ad l. 1. n. 15. C. d. t. Bachov.
ad Tr. vol. 1. disp. 22. th. 3. lit. D. Covarruv. ad c. peccatum. in 6. p. 2.
relect. §. 2. n. 1. Ludov. Molina de Inst. & Jur. tr. 2. disp. 94. num. 12.
Putamus autem stipulationes, turpe aut legibus vetitum
factum continentem, ipso jure nullas esse: per l. non dubi-
um. 6. C. de LL. l. generaliter. 26. l. si flagitii. 123. l. si stipulor. 35.
De V. O. junctà l. non solùm. 31. De O. & A. Cypr. Regnerus in disp. ad
Inst.**

Inst. 16. th. ult. modò etiam de rei promissæ turpitudine, aut quod legibus ipsa vetita sit, certò constet. nam si res ambigua est, talis stipulatio (idem dicendum in cæteris contractibus) efficax erit ad actionem producendam, cui tamen obviare liceat cum exceptione doli seu in factum *l. 1. C. de condict. ob turp. caus. Pac. ad eand. l. 1. n. 14. Facit l. nam. posteaquam. 9. De iurejurando.*

CV. Sunt autem res, de quibus in præcedentibus thesibus speciatiim actum, adeò in idoneum obligationis objectum, ut conventio, in quâ illarum aliqua est promissa, etiamsi cæteræ per eandem numerò conventionem promissæ res sint præstiti possibiles, tota tamen, ideo nulla sit, *arg. l. si duos. 44. De contrah. emt.* Et nec æstimatio nec pœna, si qua conventioni subjecta, tunc debetur, si conventio illa fuerit stricti juris *arg. §. 2. Inst. De inutil. stipul. l. si homo. 69. De V. O. add. Harprecht. disp. ad Inst. p. 2. disp. 7. assert. 12. lit. K.* vel tamen, si fuerit bonæ fidei, & is, in quem per contractum res collata est, & qui contulit, rei cõditionem sciverint. *l. Domum emi. 57. §. simili quodq; modo. 2. De contrah. emt.* Qui tamen sciens talem rei conditionem in ignorantem per stricti juris contractum, causam onerosam continentem, contulerit, alteri actione de dolo tenebitur *Exc. Dn. Praeses exerc. 38. th. 19.* Si autem contractus bonæ fidei fuerit, & e. gr. emtor talem conditionem rei venditæ ignoraverit, tunc contractus ipso quidem jure hæctenus (etsi aliàs etiam certo respectu emtio non teneat, *l. 62. §. 1. De contr. emt.* quatenus scilicet finem suum per traditionem consequi non potest, *Mej in C. I. A. L. 18. t. 1. th. 74. inf* seu quatenus in ipsâ re venditâ non perstat. *Confer. Don. Enucl. L. 12. C. 20. post G.) subsistet, per L. 4. §. 2. ll. seqq. l. liberi hominis. 70. De contrah. emt. l. si in emtione. 54. §. item si. 3. inf. d. t.* ut inde Emtori ex emto actio concedatur ad
inter-

interesse: Venditor tamen, si ipse etiam conditionem rei nesciverit, propter exceptionem justæ ignorantia ad pretii saltem restitutionem, *arg. l. si fundus. 33. Locati. l. emto-rem. 11. §. fin. De act. emt. Magnif. Dn. Frantzck. ad Π. L. 18. t. 1.* si verò sciverit, ad præstandum, quod interfuit emtoris, ne deciperetur, propter dolum condemnari poterit. *l. qui officii. 62. §. qui nesciens. 1. De contrab. emt. §. ult. Inst. De emt. & vendit.*

CVI. Solutio Debitori possibilis esse debet *tem-
pore natiuitatis obligationis.* Aliàs protinus in-
utilis est conventio, *§. idem est. 2. Inst. De inutil. stipul. nec, si* postea in eum casum venerit res solvenda, ut præstari possit, ideo conualescit. *per d. §. 2. l. inter stipulantem 83. §. ja-
gram. 5. De V. O. & l. quod initio. 29. De reg. jur. Aliter se res* habet cum Obligationibus *conditionalibus,* utpote ad quas, rem in eis complexam existentis conditionis tem-
pore præstari posse, sufficit, *l. si rem. 31. De V. O. l. existimo. 98. col. 1.* modò etiam res illa non sit talis, (1) *cujus even-
tum, quò habile fiat obligationis objectum, sperare fas* non sit; *l. si in emtione. 34. §. liberum hominem. 2. De contr. emt.* qualis est liber homo, *d. §. 2. res sacræ, sanctæ, religiosæ: Gadd. d. c. 6. n. 121. Harprecht. ad Inst. p. 2. disp. 7. assert. 13. in exeg.* Vel (2) *quæ non sit in commercio stipulantis. nam sti-
pulatio, licet conditionalis, ex præsentis vires capit: l. usus-
fructus. 26. De stipul. ser. vor. stipulatio verò tali in casu pro-
pter personæ vitium vires capere nequit. arg. d. l. ususfru-
ctus. 26. Bachov. ad I. L. 3. t. 20 ad pr. num. 5. pag. 776. col. 1. Add. Gædd. d. c. 6. n. 125. & seq.* Vel (3) *de quâ contrahere, con-
tra mores sit, ac turpe habeatur; l. si stipulor. 35. §. 1. De V. O.* qualis res est hæreditas viventis, *l. moribus. 2. §. interdum. 2. De vulg. & pupill. substis. Vid. Arnold. Vinn. tr. de pactis. c. 9. Paul. Busius ad l. stipulatio hoc modo, 61. De V. O. n. 1. & seqq. Gædd. d. c. 6. n. 60.*

n. 60. & seqq. Christina. decis. Belg. vol. 3. Dec. 135. num. 4. & seqq.
Cl. Dn. D. Habn. in dissert. (in edit. poster.) De jur. rer. thes. 79.
aliud exemplum habetur in d. l. 35. §. 1. sed hæc de condi-
tionalibus obligationibus ἐν παρόδῳ.

CVII. II. Requiritur etiam (jung. th. 96.) *rem solven-
dam talis conditionis esse, ut à Creditore ejus
solutio possit recipi.* per l. multum interest. 34. De V. O.
Nihil tamen officit, si res promissa non sit in commercio
Debitoris, d. l. multum interest. 34. sed qui promisit, nihilo-
minus rem vel ejus æstimationem præstare tenetur. vid.
Giph. ad d. l. multum. 34. n. 3. Donell. Enucl. L. 12. C. 20. post E. Gædd.
d. c. 6. n. 119. Duaren. ad d. l. 34.

CVIII. Ad hanc Solutionem, Obligationis finem,
amplius est necessarium, (I) ut *tendat in commodum*

(I) *Privatum.* Constat enim Jus aliud esse Publicum
aliud Privatum, l. 1. §. hujus studii. 2. De Just. & Jur. & hoc di-
ci, quod ad singulorum utilitatem pertinet, illud verò,
quod ad Reipublicæ statum spectat, d. §. 2. Jung. Philosophus
1. Rhetor. 13. Ad illud ergò cum Obligatio, quæ Imperato-
ri Justiniano in tit. Institut. de Obligationibus, arg. §. 4.
Inst. De Just. & J. Add. Cl. Dn. D. Taber partit. elem. Jurisprud. me-
thod. p. 3. s. 3. th. 6. & seq. & nobis hic tractatur, spectet: Jung.
th. 11. in pr. Inde necessario sequitur, de Obligationis Fi-
nis ratione esse, ut in commodum privatum idem ver-
gat. Notandum autem, quòd privatum hac Obligatio-
ne commodum ita intendatur, ut tamen etiam publica
utilitas illæsa sit servanda, indèq; si quo casu contra eam
Obligatio pugnaret, Legislatoris voluntas deficiat, &
proinde etiam Obligatio sit nulla. arg. l. jubemus. 10. vers.

Quod etiam C. De SS. Eccles. (2) *Ipsius Creditoris.*

K

Con-

Confirmant hoc *l. actionū. 25. §. 1. vers. Ex contractu. De O. & A. l. stipulatio ista. 38. §. alteri. 17. De V. O. §. alteri stipulari. 19. Instit. De inutil. stipul. Add. Donell. Enucl. 12. comm. 16. in pr. (3) Pecuniarium. Commmodo pecuniario intelligimus omnem utilitatem pecuniā æstimabilem. Jung. l. 5. De V. S. ibiq; Gædd. n. 9. it. l. 222. d. t. & Gædd. ad eam. Verbo autem interesse in legibus, ante hunc numerum 3. citatis, intelligendum esse pecuniarium benè confirmat Donellus ad d. l. 38. §. 17. n. 7. per rationes & l. fidejussores. 25. De pactis. l. si commissā est. 13. Rem ratam haberi; quem vide sis. Adde quoq; Cl. Dn. D. Hahn. in obseru. ad parat. Wes. L. 5. t. 1. n. 8. pag. 363. in m. Vasquium illustr. controvers. L. 6. C. 58. n. 27. Pac. in analys. Instit. ubi ad t. De inutil. stipulat. §. 4. Duaren. ad d. l. 38. §. alteri. 17.*

(II.) Ut per eandem æqualitas inter Creditorem & Debitorem, quam ex causa contractus vel delicti, vel quasi ex causa contractus aut delicti Justinianei Juris medium requirit, constitutur. Jung. th. 62. & seqq. it. th. 86. Et per has conditiones Datio & Factum, fines obligationis & solutionis species, videntur apta esse suam exercere causalitatem, & causæ quasi in actu primo constitui. Ideoque fortè non malè dicitur, quod prædictæ conditiones in fine Obligationis Solutione, ut Ratio causandi se habeant. Est enim Ratio causandi in Fine illud, per quod finis aptus est exercere causalitatem, constituiturque causa quasi in actu primo. Vid. Clariss. Dn. Stabius in comp. metaphys. p. comm. c. 22. in pr.

CIX. Circa Solutionem porrò notamus I. Quod quidem Persona, cui ipsa Juris necessitate facienda incumbit, sit solus Debitor, si tamen hujus nomine alius solvat, ipse quo-

quoque Debitor respectu hujus sui Creditoris, cui ipsius nomine est solutum, liberetur. *vid. l. solutum. 23. l. solvere. 53. De solutionib. l. manifesti. 17. C. eod. t. pr. Inst. quibus mod. toll. oblig. ibiq; Bachov. n. 3.* II. Quod is, cui res solvenda, sit ipse Creditor. *l. solutam. 49. d. t. l. invito. 12. C. d. t. Add. Donell. Enucl. L. 16. C. 10. post D.* III. Quod Solutio ejus debeat perfectionis & bonitatis esse, ut tempore, loco, quantitate, qualitate & modo fiat debitis, nec res, quæ solvitur, ob dolum vel culpam quandoq; levem quandoq; levissimam pro diversitate scilicet negotii, ex quo obligatio nata, defectu aliquo laboret, sed ut, si contra jus vitio Debitoris res solvenda sit deterior, vel etiam tota perierit, Creditori per æquivalens jure dolus & culpa præstentur: quorum de præstatione vide Excell. Dn. Præsidem in dissert. De damnis. & Nicol. Burgundum in tr. de Periculis & culpis in contractib. IV. Quod dividatur in *Dationem & Factum*. Est enim omnis solutio realis aut Datio aut Factum argumento definitionis Actionis personalis, quam affert J. Ctus Ulpianus in *l. 25. De O. & A. Exc. Dn. Præs. exerc. 2. th. ult. Giphon. ad l. 2. De V. O. n. 3.* Nec adversari puto *pr. l. 3. de O. & A.* Nam quod in eo venit sub nomine *prestare*, id à *dare*, ut ipsum cum *facere* dividit omnem solutionem, obligationis finem, *re non differt*. Qui enim obligatus est *prestare*, quod creditoris interest, ille utiq; *etiam dare* tenetur, quia pecuniã ipsum dare oportet, *arg. l. stipulationes. 72. vers. Horum. De V. O. l. si quis. 18. §. 1. vers. si minus. De re jud. Dare a. vel Facere J. Cto Paulo in d. pr. l. 3.* videtur significare, *id, quod præcisè promissum erat, & primum debebatur, dare vel facere. jung. ib. 95.* Hujus Divisionis membra porrò explicaremus, & quæ inter Dandi & Faciendi obligationes ratione necessitatis rem promissam solvendi differentia est, per regulas & exceptiones ex Legibus & Doctorib. notatas ostenderemus, ageremus

remus etiam nonnihil de Divisione rei solvendæ in
dividuum & individuum, item in *pœnam &*
rem, quam persequimur; nisi paginarum defectus
his nobis interdiceret. Tantum ergo, nec plura de Ob-
ligationis Fine hîc dixisse licuit.

CX. Pergimus ad ultimum Dissertationis caput,
quod est de Obligationis NATURALI seu PRO-
PRIA AFFECTIONE. *jung. th. 3. Naturali, jung. l.*
juris Gentium 7. §. quinimo. 5. vers. Idem. De pactis. Neldel. in Inst. de
Ufu Organi. 3. partic. 4. cap. 5. part. principal. pag. 576. in pr. & 12.
cap. quart. cap. 3. part. principal. pag. 164. post m. (quod aliis
etiam dicitur *essentiale consecutivum*, *add. Excell. Dn. Praeses*
exerc. feud. 2. th. 4. item, naturale internum, Neldel. d. 3. part.
„ Add. Magnif. Dn. Frantz. d. L. 18. t. 1. n. 323. junctis nn. precedd. &
„ seqq.) intelligimus illud, quod de Obligatione in concre-
„ to acceptâ Jung. Neldel. in d. libr. pag. 160. & seq. prædicatur
κατ' αὐτὸ, i. e. per se, secundo modo, & proinde etiam κατ'
ὄλγ. Sunt autem secundo modo per se, quæ rem aliquam
ita consequuntur, ut, cùm, quid illa sint, definitione ex-
plicatur, necesse sit rem ipsam in definitione accipi. Vi-
deat. Philosoph. 1. poster. analyt. 3. & Neldel. in synopsis. posterior. ana-
lyt. pag. 93.

CXI. Hoc præsupposito dicimus, τὸ *actione per-*
sonali conveniri posse à Creditore, Affectionem
obligationis propriam esse. Prænotandum autem, nos
hic Actionem personalem à *remediis extraordinariis*; ut
sunt implorationes officii Judicis, *conf. Bachov. ad Instit. t. de*
Actionibus. text. 1. n. 3. pag. 919. col. 1. inf. Zasius ad l. 2. De V. O. n. 36.
& quæ persecutiones audiunt extraordinariæ; vid. l. pecu-
nie 178. §. actionis 2. De V. S. Conf. Gædd. ad l. 34. d. t. n. 3. & seqq.
item ab actionibus in rem scriptis, & ab actione de peculio,
quæ

quæ naturam habet anomalam, *jang. ib. 43.* ita separare
 ut jam enumeratorum remediorum nullum sub eâ-
 dem comprehensum velimus. Hoc prænotato jam pro
 adstruendâ suprâ allatâ Obligationis Affectione sic argu-
 mentamur. Quodcunque Prædicatum de subjecto *actio*
av. a sic prædicatur, ut in ejusdem definitione ipsum Sub-
 jectum assumendum, illud ejusdem etiam subjecti natu-
 rale seu propria est affectio. Jam verò *in actione personali*
conveniri posse de Subjecto, Obligato, sic prædicatur. E. *in*
actione personali conveniri posse erit propria affectio
 Obligati & consequenter etiam Obligationis. *Connexum*
 patet ex prænotata propriæ Affectiois descriptione. *As-*
sumptum duo complectitur 1. Quod omnis obligatus actio-
 ne personali conveniri possit. 2. Quod actio personalis
 definiri nequeat sine expressione Obligati ut sui Subjecti.
Posterius probatur ex definitione Actionis personalis,
 quam affert Ulpianus *in l. 25. De O. & A.* quæ hæc est: *In*
personam actio est, quâ cum eo agimus, qui obligatus est nobis
ad faciendum aliquid vel dandum, & semper adversus eun-
dem locum habet. Prius inde patet, quod omnis debitor
 seu obligatus actione possit conveniri: *per l. Debitor. 108.*
De V. S. l. Creditores. 10. d. t. l. filiusfam. 39. & l. is cui. 42. §. 1. De O. & A.
junctâ regulâ Topica: Relativè oppositorum relativè opposita sunt
consequentiâ. actio autem, quâ obligatus quâ talis con-
 venit, sit personalis. nam si actio personalis rectè de-
 finita est ab Ulpiano *in d. l. 25.* sequitur etiam, quod actio,
quâ cum eo agimus, qui nobis est obligatus ad quid dandum
vel faciendum, sit actio personalis, cum enunciationes defini-
tivæ sint simpliciter convertibiles.

CXII. *Dicis:* Atqui actione personali conveniri
 posse est ipsa Obligationis essentia aut tamen de ejus es-
 sentiâ. E. non est propria illiusdem affectio, cum affectio
 vel




vel attributum distinctum esse debeat ab eo, cujus est attributum. *Verum* negamus nos Minorem. Quicquid enim alicujus rei est essentia, aut de ejus essentia, id in illa re primò concipitur. *Cl. Dn. Stahl. in comp. Metaphys. p. com. c. 4. τ* actione personali conveniri posse, nō primò in obligatione concipitur. E. nec vel essentia vel de essentia Obligationis erit. *Minor* probatur, quia τ actione personali posse conveniri causa & ratio à priori, assignatur Obligatio *l. licet 42. §. ea obligatio. 2. De procurator.* Et si, obligatum esse, & actione personali conveniri posse, non essent distincta, sequeretur Ulpianum in supra allatâ definitione non sine vitio ἀδολεχίας, jung. *Cl. Dn. Stahl. in t. 12. reg. 4. & Schegk. 6. Topic. loco 10.* dixisse, quod *actio personalis sit quâ cum eo agimus, qui obligatus est nobis.*

CXIII. *Obligationis activæ* jung. *thes. 14. & 30.* propria affectio est *actio personalis*. Creditori contra debitorem competens. Quod faciliè colligi potest ex legibus & rationibus allatis in *th. III.* cūm relativè oppositorum relativè opposita sint consequentia, & ex cognitione unius relatorum alterum etiam intelligi possit. Id circa actionē ex obligatione fluentem adhuc notamus, quod ea non necessariò una sit, sed quod *aliquando unâ plures ex eadem numero obligatione* descendant *actiones* personales. Caterum quæ Obligationi tam Activæ quàm Passivæ Accidentariè insunt, varia sunt. Hoc enim modo Creditori jus Excipiendi, Retinendi, Compensandi, Debitorem fugitivum sistendi, &c. Debitori verò prædictis juribus respondententes qualitates passivæ insunt. Verum talia, (ut & de variâ Obligationis Divisione) nūc tractare non licet: Sed nobis hīc jam subsistendum. Moniti meliora sequemur.

Δ. Τ. Θ!

VOM







62.53.

ΣΥΝ ΘΕΩ.

DISSERTATIO JURIDICA

DE

OBLIGATIONE

QUAM,

AUTORITATE ET CONSENSU

MAGNIFICI, NOBILISSIMI ET CONSUL-

TISSIMI J. CTORUM ORDINIS IN A-

CADEMIA JENENSI,

PRÆSIDE

VIRO

NOBILISSIMO, AMPLISSIMO, CONSULTISSIMO ATQ;

EXCELLENTISSIMO

DN. GEORG-ADAMO

GRUBER/ J. U. D. PANDECT.

PROF. PUBL. CONSILIARIO SAXONICO,

CURIAE PROVINCIALIS ET SCA-

BINATUS ASSESSORE,

DN. COGNATO, PRÆCEPTORE, ET PATRONO SUO

ETATEM SUMME VENERANDO,

PUBLICO EXAMINI SUBMITTIT

PAULUS BRUNNEN/

AUTOR.

AD D. XXVI. APRILIS.

JENÆ,

LITERIS GEORGI SENGENVALDI.

ANNO M. DC. LI.